

CIVIS BONVS,

Ad Illustriss. & Magnificum Dñum,

DOMINVM IOANNEM

à ZEBRZYDOWICE

ZEBRZYDOWSKI:

Regni Poloniae Eniferum, Lanc-
koronensem Capitaneum. &c.

*Ubi Civis Boni natura, conditio, leges, & caetera tam
ad essentiam, quam ad perfectionem eius pertinen-
tia: Item artes Civis Bonos, cognoscendi perscri-
buntur. Omnia historicis, novis & antiquis
exemplis illustrata.*

DESCRIPTVS

à GASPARO SIEMEK.



CRAC. In Officina Typ: Matthiae Andreouieñ.
Anno Domini 1632.



*Aspice Mauortis: Templi quoque Stemmata sunt hæc,
Bello: discernas, an pietate merent?*

ADLECTORUM

Adlectio est quae quibusdam nominibus adhaeret
 et vim eiusdem nominis adhaerenti communicat
 Sed quae adhaerentia est adiectiva dicitur
 quae adhaerentia est adverbialis dicitur
 Adiectiva adhaerentia sunt quae adhaerent
 ad substantiva et ad adiectiva
 Adverbialis adhaerentia sunt quae adhaerent
 ad adverbium
 Adlectio est quae quibusdam nominibus adhaeret
 et vim eiusdem nominis adhaerenti communicat
 Sed quae adhaerentia est adiectiva dicitur
 quae adhaerentia est adverbialis dicitur
 Adiectiva adhaerentia sunt quae adhaerent
 ad substantiva et ad adiectiva
 Adverbialis adhaerentia sunt quae adhaerent
 ad adverbium

AD LECTOREM.

Mendosas Typographias omnes, maximè tamen nostras experimur. quibus altera non sufficit lima: Deinceps, sæpè aliquid superflue additur. quandoq; turpiter detrahitur, interdum vocales cõmutantur, satis vitiosè: Rectius fuit, errata in fine opusculi, corrigenda, annotauisse. Nec hoc commodè, propter non appositum folijs numerum, fieri potuit. Tuo iudicio omnia integra facies. Qua de re monitum te esse velim.



CIVIS BONI.



AP: I. Erant, qui STAROVOL-
sci o vitio habebant: quia ille
obscuri & plebei sanguinis quos-
dam; Illustrium virorum cõtuber-
nio adscripsisset. Quid hoc? am-
bitio? sane delirium & mentis in-
sanæ tumor; nec opes: nec na-
tales: Illustres faciunt viros, sed virtus bellica. hac,
& sola & maxima adipiscitur gloria. Si quis rationi
minus dederit locum: summis viris credat. Plutar-
chus, cuius auctoritatem amplificare quid opus?
qui & mihi met commemoranti, plurimum afferet
ornamenti: viros fortuna egentissimos. natalibus,
non mediocres, sed abiectissimos, cum Regibus
vnam in seriem congescit. Quid? Regibus compa-
rauit summo orbis terrarum applausu. Alcibiadem
Atheniensem, non ignoti, sed incerti pa ris. Eume-
nem Scribam vnum & Seruum. Iulium verò Casa-
rem Alexandro Magno comparare imo anteferre au-
sus est. Hic, Regibus natus, Abauo. Proauo. Auo,

B

Patre

Patre Philippo. qui Græciam & victorijs, & nomi-
nis sui terrore repleuerat: ille ciuis Romani Filius,
magis obscuri quam nobilis. Hoc, non obstabat,
vt multis nominibus Cæsar, Alexandrum superaret.
Quod si tantum Regem, vnus Plebeius antegressus.
quid de ijs dicendum, qui cum istis duobus nequa-
quem conferendi? Non qui Regibus nascitur. sed
quam exercitatio & studia Regem fecerunt, Rex sit:
incertum qui possunt. qui fecerunt illustres sunt ha-
bendi. vnâ & simplex via nascendi vniuersis, factis
distingui mur tantum, & illustramur etiam. Facta re-
giam dignitatem obfuscant: facta plebeios illustrât.
Tam turpè est Regem esse sine gloria, quam plebei-
um sine virtute. Dignior Paulus Æmilius, pauper-
rimis parentibus, & ipse pauperimus. quam Perseus
potentissimis Regibus Macedoniæ natus, quia hunc,
ille in triumpho duxit: an minus dignus de dignio-
ri triumphari poterat? Fortunæ & natales maiores
Persei: Pauli, maior virtus fuerat. Quid de cæteris
(pace ipsorum dico) plebeijs hominibus qui multos
Reges eosq; potentissimos captiuos duxerunt. ne-
mo potentiorum si non ignauia, vel imperitia peri-
it. quid tali homine indignius? Noster Ioannes Za-
moscius, an exiguam rem præstitit, tantæ existima-
tionis Principe & tam potente in captiuitatem du-
cto? iacent cæteri animum & potentiam suam iste
factum

factum suum probauit, & probabit multis post sæ-
culis, vel qui huic par esse velit, parem se in re adeo
difficili facere, oportebit. Nemo aliena clarescenda
eleuet, qui sua clariora non ediderit. Dicere quam
facere leuius est. Alij in fallendis hostibus pruden-
tissimi, in circumueniendis, alij circumspecti non
desunt, qui vi aperta bella confecerunt, diuersæ ar-
tes belli sed vincere satis est. Non ignobilis, qui lo-
corum opportunitate fretus, hostes superare nouit;
non inglorius qui tempus bene gerendæ rei operi-
tur, vt vincat: nec is gloriosior qui fortiter bella &
hostes confecit, quamuis hoc difficilius. Nullus
modus vincendi hostes ignobilis; nemo qui vicit
pro ignobili habendus: quia is, potentissimis qui-
busuis aut æqualis, aut superior. tametsi sortis infe-
rioris esset. Quid mirum? dum potentes vincunt?
Si impotentes, res stupenda, & talis virtus omnibus
sæculis in oculis est. Quid igitur vitio mihi dabis?
quia magnis tuis virtutibus, paruum adscribo libel-
lum? non ctedo. Etsi enim cæteras quæ in te sunt
omnes, non habueris virtutes. sola sapientia com-
plecteretur. tibi inde nullum dedecus, mihi magnam
venturam gloriam: cum Tibi paruum, at temporibus,
rem necessariam dedicabo. Procul à sapienti-
bus arrogantia leuia illa esse oportet, quæ tendunt
sursum grauiora quæ se non extollunt. vel non quã-

tum. sed quid scripserim cogitabis: aut, si neq; hoc tibi probabitur: animum purum, qui simulare nescit acceptabis. Iucunda memoria nominis tui, non propter beneficia, sed propter heroicas virtutes Tuæ amplissimæ Familiæ. Multi beneficiorum obliti sunt, non desunt, qui alijs beneficientes. alios iniurijs affecerunt, plus ab his odiorum, quam ab illis amoris referentes. Et sanè odia non contemnenda, si sunt iusta, præsertim si ex iniuria illa processerint: magis iniuria, qui illam fecerunt nocet. quam quibus illata est, nam his breuius, illis semper. virtutis gratissima omnibus memoria, nec cum sæculis euanescit Tempora temporibus enarrant, magnorum virorum virtutes quia nulla gens, nullus locus, nullum tempus, in quo viri virtutibus illustres non amarentur: atq; non exoptarentur. Nec quisquam ita malus esse potest, qui virtutis verecundia non moueretur. Hostis Crudelissimus Hannibal, virtutem Marcelli in eo etiam mortuo veneratus est. Et Cæsar Marcellorum excitatus virtute condonandum M. Marcello duxit, quamuis ab eo, contumeliarum in Cæsarem, prætermisissimum fuerit nihil. Cæsar nihilominus, verè Cæsar Magnanimus. plus gloriosissimæ Familiæ, ad vnum penè redactæ conseruandæ, quam priuatis odijs consuluit. Quid barbarius fecisset. si suæ ambitioni magis, quam

gis, quàm virtuti celeberrimæ Familiæ indul-
set? quo facto non omnino reipublicæ salutem & li-
bertatem postposuisse videtur. bona quæq; huic o-
ptavit, vel si id consequi non potuisset, quod lenita-
te & clementia se obtenturum credebat, saluam ta-
men & incolumem rempub. cupiebat. Erubescant
qui magni momenti res, exteris tutius, quam Patri-
cijs concedi posse arbitrantur. Quis verò dome-
sticus putandus? ille qui utroq; domestico natus
parente. Sed quia hac de re, antiquorum tam Spar-
tanorum, quam Romanorum instituta habentur,
qui rem scrutari velint eodem remittendos censeo.
Quid moror? Tecum & cum domo Tua mihi est
res. Si illam comparauero ceteris, verendum ne ti-
bi iniuriam faciam: pauca sunt Tuæ æquales. mul-
ta inferiores, meritis inquam & amore reipub. quia
ius in liberis rebuspub. omnibus æquale. Et quidem
mihi, ista copiosissima esset materia amplitudinis
Tuæ enarrandæ, sed animum tuum bene noui. omni-
bus autem nota est integritas Tua. haud æquo ani-
mo tulisses, si laudes tuas à Familiæ Tuæ dignitate
sumpsissem. Audiui abs Te sæpius, vituperari istam
fumosam laudandi consuetudinem: grata quidem
est memoria clarefactorum à maioribus nostris peti-
ta: sed tamen ambiciosus, plus æquo carior: non
æquè viris studiosis, qui ad alienas virtutes se non

retrahunt quia proprias habent. Vestibus & alieno auro sese vestiri, Scenici consueverunt, qui personas magnorum hominum personati mentiuntur. Quid refert Auo & Patre heroibus cum primis & optimis & laudatissimis nasci nihil inde gloriae quia nihil virtutis consequimur. Dum perpendimus animi Tui sinceritatem, sobrietatem, conscientiae integritatem. propè extra nos rapimur, quia non reliquias quasdam, virtutum, sed integras possides virtutes. Quid vnquam defuit Tuæ sobrietati? quid continentiae? Quæ vna virtus, propter incontinentiae omnibus familiaritatem in Te solo honestissimum inuenit domicilium. Quanquam virtutes Deo & hominibus gratissimæ, continentia tamen Deo amicissima, & eius est sacrarium: quam etiam in hominibus antiquis, sine religione viuentibus, Deus, honestauit, admirabili rerum prædictione: nunquam Deus à mente impuritate non contaminata recessit, nec abstulit felicitatem rerum gerendarum. Nam isti impetus innati omnibus sunt, quos sustinere, res, non mediocris certaminis est. Multa, de multis vera, falsa de quibusdam vulgus: de te nemo sinistrè hac de re dixit. Et si alter fuisset, continentissimū eundem esse oportuisset. me later quis tibi continentia æquandus fuisset. Magnum itaq; dixi, hoc cum natura certamen & acre, & propter
difficul-

difficultatem Deo gratissimum. Cæterum multæ
sunt Tuæ virtutes, pietas videlicet, qua non solum
in Deum (ad hoc enim nati sumus) sed in omnes
Tuos conciues & præcipue rempub. est copiosissi-
ma, quam Tu deseruisti nunquam: atq; libertatis
salutem integram retinere, velis remisq; contende-
bas. Mala consilia nunquam assumpsisti, bona nun-
quam deseruisti. Quid putas? quam heroica est ista
virtus, quia cum grauitate coniuncta. Vt Patrem
Tuum in Te rediuuium facile dixerim. Memini ego
quos sumptus causa reipublicæ feceris, cum ma-
gnos sed falsos ex Hungaria nuncios accepisses:
adeo vt Nicolaus Wolscius Marshalcus vir altissimi
consilij, virtutis tuæ magnitudine penè in admira-
tionem raperetur. Integerrimi viri tibi addendo e-
logium. Sobrium te non appellabo, quia in te vt in
multis nullus est fomes temulentia. Neq; enim ca-
stos vocamus, qui incontinentes esse non possunt.
Desciuerunt à natura & profugerunt, qui temulen-
tia & Baccho. noctes diesq; consecrauerunt tan-
quam numini. bibunt vt vomant, vomunt vt bibant.
Et cum maiorem partem diei noctisq; in bibendo &
ebrietate consumant reliquum temporis, somno
conficiunt, nec vacat illis Patriæ & libertati infer-
uire, somno, aut Vigilia somno simili, impeditis.
quæ turpitude vtinam à mortalium genere fuisset
procul:

procul : nam ab illa, maxima publicarum rerum de-
spicientia procedit. Et me hercule, multa bonus
ciuis, requirit Tu tamen bonum ciuem virtutibus
superauisti. Nam & quæ ad priuatam conscientiam
pertinent, abundè retines. Neq; oportebat me ni-
mis in bono ciue elaborauisse. Te, formam in eius
exemplar constituere, satis fuit. Inuidia tamen id
fieri prohibuit, ne mali peiores fiant, scater iste or-
bis hoc scelere plurimum. Non dignitate sed cupi-
ditatibus, pleriq; se metiuntur nec attendunt. quo
digni, sed quid cupiant : Quæ cupit aliquis, eisdem
se dignum arbitratur. Vir dignus alieno se subicit
iudicio, minus sibi semper tribuit, quam tribuatur
illi : & si aliqua fidei eius committuntur, recipit illa
tanquam obtemperans suæ ciuitati, non tanquam
arrogans. Sed inuidiæ non concedam, nec furori, si
essent maleuoli. Admiramur omnes tuas virtutes :
hoc si licet : cur non laudare ? neq; enim modum
alium referendæ Tibi gratiæ habemus. Debemus
autem & Tuæ Familiæ plurimum, quæ neq; Te vir-
tutibus magnis superauit : neq; Tu illam aliqua im-
probitate indecorasti. Illa Te ad hanc virtutum cõ-
suetudinem vocauit. Tu ipsius amplitudinem reti-
nuisti, auxisti, quia virtutes auitas non deseruisti.
Qui nouit maiores Tuos, in Te eosdem recogno-
scat : qui non nouit, in te cognitos habebit. Omni-
um in

um in Te sunt conuersi oculi, siue propter memo-
riam clarissimorum tuorum maiorum, siue propter
singulares & admirabiles Tuas virtutes, quas intue-
ri sine voluptate nemo potest: attribuentes nostris,
quantum antiquis attribuebamus temporibus. Et si
essent, de quibus quæreretur cur sint? de Te certè
quæritur cur non sis Senator, neq; enim opinamur
quod is idoneus, sed omnes scimus, Te à maiori-
bus Tuistalem virtutem accepisse: & retinere, quis
non videt? & populus vniuersus in laudem tuam id
interpretatur. Crede mihi non vulgaris ista Tua
gloria. virum optimum esse oportet, qui in se omni-
um conuertit oculos malignitas prebet se noscen-
dam natura id ordinante, vt eo magis malignorum
scelus infametur: secus, facile occultaretur nisi De-
us ipse, occultari eam prohibuerit. Quid putas? Si
Censoria illa potestas. cuius animaduersione Sen-
natus Romanus non sanctus, sed sanctissimus fie-
bat. Si inquam eadem consuetudine, & legibus.
omnium penitus vitam mores, animum perspiceret.
Quid decerneret? Te profecto summa quaq; digni-
tate dignum esse notaret; Non te latet, quam leues
etiam propter causas Censores Romani Senatu eie-
cerunt aliquos, nam traditum est memoriæ: Mani-
lium, quia vidente Filia lasciuus cum vxore iocare-
tur Senatu amotum fuisse. Non solum re, sed exem-

plo etiam, optimum & Sanctissimum Senatorem
esse debere iudicantes. Quid putandum de huius
sæculi spurcissimis moribus? quos nec animo recol-
ligere fas est, multo minus scribere ne honestissimæ
ledantur aures: iocus minus decens, tam seuerè
apud Romanos puniebatur. Sed quocunq; vertam
meos oculos: aut ingenium admouero. magnum Te
conspicio Auum Tuum Ducem generalem exerci-
tuum video. Patrem Tuum Palatinum & Capita-
neum Cracouiensem Senatorem amplissimum, pru-
dentia, grauitate, cum primis ornatissimum quod
maximum est: noui. Ista ante Te. Quod si aspexero
Filios Tuos. iuuenes animi excelsi, non meo iudi-
cio dico sed vniuersorum, quod audiui adfero testi-
monium. Ad gloriam reipublicæ augendam, & li-
bertatem retinendam nati esse videntur: quorum in
altero, admirabilis morum præluet suauitas, felici-
tatis non vulgare iudicium: in altero singularis gra-
uitas, animi incorrupti initium: quales animi rerum-
publ. firmitas est. Populus quotiescunq; eos vide-
bat mirificis gratulationibus eos præceteris profe-
quebatur. (Absit ad palatum me aliquid dixisse, sic
dico coram vniuerso orbe terrarum, tanquam coram
Deo maximo dicerem.) Et sicut olim fuerunt, ita &
futura sunt certissima è familia Tua libertatis præsi-
dia, & reipublicæ ornamenta. Itaq; Tibi ciuis bo-
ni ap-

ni appellatio in primis competit. Cuius Familia no-
cuit nunquam profuit semper reipublicæ & omni-
bus. Tu verò ipse nec perfidè quæ nocuissent rei-
publicæ & libertati vnquam voluisti: nec à commo-
dis & necessitatibus publicis recessisti nec arrogan-
ter, tibi æquales. nihili habuisti. Te ipsum, Tibi ipsi:
ciuem inquam bonum. ciui bono adscribo. quia vt
Tu ciuibus Tuis, es æquissimus: ita illi amplitudi-
nistuæ deuotissimi. Seruias igitur non temporibus
duntaxat nostris, sed eis etiam, qui multis post sæcu-
lis de Te iudicabunt. Et quidem scio quod incorru-
ptius quam nos. nam & sine amore & cupiditate:
& rursus sine odio & sine inuidia iudicabunt. Nulla
est comparandæ sibi potentiæ adhibenda opera ma-
xima, retinendæ, & post se relinquendæ apud poste-
ritatem famæ & existimationis. Di; & homines ode-
runt illicitè acquisitam potentiam, & persequun-
tur, huius generis potentum posteritatem: Turpi-
ter quidem isto modo acquiritur potentia: sed tur-
pissimè amittitur. nemo de malè acquisitis diu gau-
debat, de malè aquisita potentia breuissime quiuis.
Ad quem Fortuna deposuit quidquam, ab eodem
paulo post repetijt. Qui & opulentus Fortunæ
bona, tanquam aliena retinere debet: & Fortuna
quia inconstans nemini non violauit amicitiam. Li-
citus ille modus est habendi; incertus tamen. Illi:

qui auaritia & varijs iniurijs locupletati, non credant Fortunam domum suam diuertisse. nam fauoris & gratiæ popularis nihil isti habent, odiorum satis. neq; cum odijs illa commisceri vult. Quo se fortuna eodem & fauor hominum inclinat. Nec diu lucere potest, quem Fata & humana odia persequuntur. Quidquid habes nihil Te habere existima. præter virtutem, quæ Tua est tantum vidisti toties, Dominos, famulatum sequentem: sed cuius sit eorum aliquis, non dignouisti. Separatis Dominis, cuius sit quispiam tunc primo cognouisti, dum quemlibet sequi suum Dominum animaduertisti. Habeas multa, habeas totum mundum. quid hoc est? Si virtutem non habueris, pauper esses & infelix. Et mali possunt sibi comparare opes sed non diuturnas virtutis amantes miseri esse non possunt. nam virtutis Fortuna Serua. Tantum habet quiuis studiosus quantum vult, mali plus volunt, quam vitij meruerunt: nihil autem magis quam supplicium.

CAP: II. Familiare vniuersis nomen Ciuitatis: res ipsa omnino non vulgaris: & secus quam vulgo existimatur, intelligenda: Non longam in seriem & in pulcherrimum ordinem excelsarum domorum congeries. ciuitas est: Aut vbi superbæ margaritis splendent Põnificum mitræ. Sunt ista ornamenta ciuitatis & opportunitas. Ciuitas vera est. Multitudo
homi-

hominum vnus loci ijsdem legibus, liberè viuentium. Loca maiora & minora sunt. quia species rerum certa quantitate non determinantur. cum & res singulares, aliæ atq; aliæ, magis magisq; extenduntur, & omnino dispaesunt magnitudine: Nihil refert magnusné vel paruus locus ille. viure sub ijsdem legibus liberè. ciuitati naturale est. Et hoc vno in loco efficit ciuitatem. Nam Venetorum receptæ se leges in Holandia, cum Venetis vnā non faciunt ciuitatem, quia loca non coherent sibi, sed sunt separata. Nostra respublica, quidquid ab occidentis primo limine, vsq; ad orientis hostiles limites comprehendit. ciuitatis nomine vocari debet: nam Polonia vna ciuitas est. Itaq; non stolidè ille Italus (de quo passim) quæsiuit. Quam sit magna ciuitas Polonia? capacitatem enim, non murorum longitudinem, perspectam habere voluit. Arrogantius ille Hispanus: qui à nostris quantum Polonia tributi penderet Regi Hispaniæ, percontabatur. Itali plus natura perspicax, quam rerum cognitio valuit, & ignorantiam correxit natura. Hispani ambitio genti innata, corrumpit iudicium: id enim percontari primo debebat. Sitne nomen Hispanum in Polonia palam Constituta igitur eo modo, quo esse debet ciuitate. Quid sit ciuis manifestum esse deberet, præter verborum iterationem. Qui est. Multi-

rudinis eiusdem vnicum membrum : & hi ciues ciuitatem faciunt, quos natura ad societatem humanam simulq; viuendum impullit. nulla necessitate, vt impiè aliqui arbitrantur : nec vitæ iucunditate vt delicatè non nulli : sed solo societatis amore, à natura indito, attracti. quod & brutis animantibus innatum est. Nam apes turmatim viuentes præter naturam non aliud congregauit : non vt fauos faciant, sed faciunt fauos quia congregatæ sunt. Non pericula ad ciuitates cõstituendas genus hominum cõegerunt. quia intra multitudinem habitare quam solitario in loco periculosius : multi potentes vicini ad iniurias faciendas parati. multi seditiosi, multi temulenti, vinosi, auari arrogantes, qui nec soli possunt, nec alios pacifice viuere sinunt. cæteros diuexantes, conturbantes, ac diuersis turbis implentes. præstaret in solitudinem abire ibiq; tranquillam & iucundam vitam ducere, quam forensibus negotijs turbari : nisi natura eam iucunditatem nobis erripuisset. Supra naturam igitur illi antiqui Sancti viri, ex ista multitudine, naturæ amica egressi. Soli in vastissimi campis habitantes, & se & naturam vice-runt, magis ibi quam in ciuitatibus proficui. Verum enim uero animus quoq; in ciuibus spectandus. quo, potissimè, & factis ciues ab hostibus distinguuntur, nequaquam natura, vel loco : Conueniunt interdum

natura

natura cum hostibus, quamuis secretissima quæq;
naturæ, aliquis rimetur. quia quæ humanitatis sunt;
omnibus sunt communia hominibus. Sæpe casus
aut fortuna inimica effecerunt, vt sint nobiscum
nec quidem parietibus distincti, hostes. Animorum
paritas in promouendo quod est commodum liber-
tati, ciuium est natura: à qua recedere, nisi qui à ciui-
tate recesserit. nemo potest: vnde vt hostes, conci-
ues nobis esse, propter animum non possunt: ita &
conciues propter animum hostes esse possunt. Si
non idem quod omnes boni sentiunt, senserint: &
à communitate conciuum suorum, in libertate de-
fendenda aut promouenda secesserint. Hac de cau-
sa Ioannes Zamoscius ciuis optimus merito dicen-
dus: quia à communitate conciuum non recessit:
Non auram popularem captando. sed quia bono-
rum multitudinis non studiosus esse non potuit, nec
debit etiam: sed ipsius arbitria & vota tanquam li-
bertati securiora prosequutus, & tutatus est. Erant
enim adhuc illa tempora non penitus corrupta. pau-
cis sed potētioribus, aut avaritia, aut ambitione de-
prauatis: studioq; suo effecit, vt bona causa trium-
pharet, boniq; cōtra malos præualerent. Effectumq;
tanti viri magnitudine vt quod vicinis, æquè nobis
non esset graue. Nemo non laudare factum istud
non potest, quia tempora ista collaudandū docent:
neq;

neq; casu id euenisse existimandum, nam casus ad
consilium non admittitur. Itaque quia animo eo-
dem fuit, quo & bonorum non exigua manus ciuis
bonus est dicendus. E contra Catilinam à Ciuibus
Romanis animus seiunxit, quem hostilem habuit.
quia animo non agitabat nisi Patriæ cineres con-
ciuium neces, diuitum despoliationes, ingenuorum
vim, honestorum supra, publicorum rapinas. Suffi-
ciebat ad hostilitatem vnum istorum, sed bellua ista
immanissima. quosuis hostes crudelitate superauit,
quod omnibus malis ciuibus commune est. Satis
est hostilitatis, nolle augere aut defendere liberta-
tem: aut eandem in discrimen adducere. quia nec
hostes semper vitam. libertatem semper eripere ex-
petunt. At si nec hoc expetunt? Si tamen in pericu-
lum discrimenq; adduxerunt, eandem & perdide-
runt. Tantum refert interficere hominem quan-
tum prodere interficiendum. quod non crudelis nõ
fecisset. Igitur ad retinendam ciuitatis prærogati-
uam. animus in primis custodiendus ne aut cupidi-
tatem honorum: aut spem bonorum representan-
do, crudelitatem cum hostelitate nobis inducat. Ne-
mo superstes fuit qui alios prodidit: Bene Antigo-
nus. Proditionem amo, prosequor & remuneror:
proditores odi prosequor, & proditione peracta,
omnibus crucibus esse dignos duco: & antiqua &
recen-

recentia eius rei adeo multa exempla, vt passim omnibus occurrant. Præstat exigua terræ portione esse contentum, à nemine eripienda, quam ampla dominia retinendo; Domini de animo esse sollicitum. Porro vt ciuitas libera ita & Ciuis liber esse debet. libertas enim maximè ciues efficit, conciuēs animus: quare, non liber, ciuis esse non valet. Romanis non licebat eum etiam ingredi locum, in quo seruiendum esset, vt quisq; ciuium inuiolatam retineret libertatem, quod si aliquis ingressus fuerit locum, in quo nulla fuit libertas: ius ciuitatis amittebat: nam talis non tollerabatur, qui vltro se in periculum seruitutis detrusisset. Illi etiam qui iniquitate fortunæ abrepti & vi Fati, in seruitutem abducti, liberati tandem ciuitatis Romanæ prærogatiua gaudere non valuerunt. Quod Sempronius grauissima quæ extat oratione, prohibuit, ne redemptis post cladem Canensem captiuis, urbem loco ciuium, seruis replerent: licebat, inquit istis mori quibus tradendi se in seruitutem potestas fuit. O admirabilem libertatis amorem, ô humanæ dignitatis verecundiam ne fatorum quidem & fortunæ iniuria oppressis, licuit deserere libertatem: Quam multas inter nationes pleriq; apertè propter honores aut opes qualescunq; ruunt in seruitutem, aut indiscrimen seruitutis manifestum se conijciunt incertum si euadendi

via patebit, vel non patebit certò. Quod si se isti
perdiderint, nō modo est exigua res, sed opportuna
etiam: Nemo enim maximā quauis cruce indignus,
qui omnes excogitatas & excogitandas neces & tor-
tūras meruit. Hoc miserrimum est, si ista deserta-
tione libertatis vniuersos ad eandem pertraxerit ser-
uitutem: nullus verò non pertraxit omnes, qui pro-
didit omnium libertatem. Lacedæmonij libertatis
studiosissimi, sine qua, vita humana inhonestissima.
cautum legibus habebant, ne libertinis potiundæ
ciuitatis spes superesset: Et quo, & libertatem secu-
riorem, & repub. honestiorem habeant, legibus
fuit sancitum, ne ciuis esse possit, nisi vtroq; paren-
te patritio natus. res enim ipsa id postulare videtur,
ne propter sanguinem, ad exteros aliquam studio-
rum suorum partem referat. aut in perniciem Patriæ,
alienis vtatur consilijs. Profectò circumspēctissimè
honestas ciuitatis custodiebatur. Quamobrem Re-
ges Persarum, cæteros Græcorum non item solos
Lacedæmonios amicos appellabant. Et Lacedæmo-
nij. quotquot erant, propter eorum libertatem, &
animum excelsum pro Regibus habebantur, ma-
gnæq; per orbem authoritatis. Quam ad rem allusit
fatis iudiciosè N. Criscius noster; cum quo & ego
tum temporis Bononiæ diuersabar: Hic in reditu ex
Italia. Bononiæ sub signum Angeli diuertens, ple-
no di-

no diuersorio extera & egregia iuuentute: cum
quisq; pro humanitate ad mensam locum sublimio-
rem, detrectaret, alteri esse conferendum ducens,
vt politissimis hominibus mos est: splendore Cri-
scij & morum elegancia allekti. omnes, locum pri-
mariū ei detulerunt, festiuè dicentes, (neq; enim
barbari esse solent qui peregrinantur.) Propter Po-
lonorum dignitatem Regumq; eorum eminentiam,
qui Reges Regum vocantur: locum superiorem sibi
deberi. Tum ille facetè ne magis an prudèter? ita
fanè, inquit: Nam Reges liberi, & liberos Reges es-
se, quis inficiabitur? cum serui ne hominis appel-
latione digni. Omnes penitus responsi huius ve-
recundia ducti, nam pudor apud ingenuos magnam
vim habet; reliquum prandij admiratione Criscij,
& suscitando, quis sit modus reipub. nostræ con-
sumptum est. Admodum pauca extant resp. qua-
rum Ciues liberi sunt: nemo tamen hominum est
per hunc vastum orbem terrarum qui turpitudine
vitæ seruilis non perturbetur. Sed operæ precium
est dicere: qui sunt modi retinendæ & perdendæ li-
bertatis. Liberos ciues esse diximus. Et quidem li-
ber est is, qui beneficijs alienis non est oneratus, o-
nera enim liberos nos esse non patiuntur. Et asinos
seruilia animalia appellamus. secus equos, quos in-
ter parum interest, si non id vnum; quia asinis im-

ponuntur onera; equi alteri & longè ampliori re-
seruantur vsui. Qui accipere quærit modos & oc-
casiones: seruire est paratus: qui accepit, iam ser-
uit. magisq; quò plus, alienorum in se redundabit
beneficiorum. Et medicina & beneficijs cautissi-
mè vtendum. nam medicina vitam, beneficia liber-
tatem sæpe eripuerunt multis. Nihil nos Principi-
bus daturos pro beneficijs si arbitramur, stolidi tu-
mus: nam nullæ largitiones sunt sine prætextu. nos
damus. sanè rem magnam: qua dari nihil potest ma-
ius, cum nos nihil dedisse putamus. Nec dare quic-
quam gratis; nisi stultus; nec accipere; nisi ingra-
tus consuevit; quod ipsum magnum vitium est. Ma-
gna pars libertatis in dicendo consistit: bucca alie-
no pane repleta non fungetur isto officio obmute-
scent isti, qui clitellas sibi imponi passi sunt. O im-
pietatem! o tæelus! quid perniciosius istis homi-
nibus? quid in vniuerso genere humano exitio-
sius? hac peste rerump. plus ventrem sequi quam
mentem? Et hi similes sunt illis, qui sunt portento-
sa voracitatis; qui non edunt sed vorant, quibus
sæpè euenit inopinata mors, quam illa voracitas ac-
celerauit. off: quæuis spiritus intercludente. sed
quid dixi similes sunt? isti sibi obtunt, se interimunt,
se suffocant, quid ad nos? hoc. si cum istis voraci-
tatis turpitude interiret: illi. cum se beneficijs alie-
nis si-

nis finunt; alios quoq; suffocari faciunt: aut si id non possunt, instrumenta suffocandi cæteris sese præbent. Similitudo igitur quoad singulares homines, quoad ceteros, nulla. Nam ad eò, isti beneficiarij res est exitiosa, vt in natura similitudo haud: quaquam inueniri valeat. Huiusmodi beneficijs Roma excisa, & beneficiarij eandem perdidierunt. & pleriq; innocentissimi & optimi Ciues cum sceleratis occiderunt. Olim gloriosa Roma; quid dico gloriosa? admirabilis libertate: neq; enim publica gloria à mulieribus proficiscitur; quum mulieres, quæ sunt natura auaræ & crudeles ne auaritia & opum cupiditate libertatem contaminarent: magnas largitiones formæ & pulchritudinis suæ administras, repudiarunt, Cineæ Pyrrhi Oratore, magnæ æstimationis dona illis offerente, istis instrumētis, ad emolliendum Senatum; vtendi, habendo animum. Quid illæ? Magnarum virorum vxores respondere non aliud conueiebat: Alijs (inquunt) conferre, non accipere beneficia Romanum est. sit salua respub. & nos de nostris largituræ sumus Pyrrho, quantum opus habeat. Dignissimæ Romanis Matronæ: si tales fuerunt? quales viros earum fuisse existimabimus? Postea temporis viri ipsi largitionibus indulserunt, manus porrigentes, vt etiam Iugurtha homo crudelissimus, quod scelus suum parricidiumq; redimen-

dimendi potestatem habebat, infelicissimam urbem: & propter auariciam citò ruituram vaticinatus esset. Iulius Cæsar non euertit Romam, sed emit; quam venum perditissimi ciues exposuerunt: utiq; excusari potest, quia emisset; quæ si hosti venderetur, crudeliùs actum fuisset, quam per hunc actum est. Nam quotquot tyranni fuerunt, omnium clementissimus Cæsar fuit. Liberrimus itaq; Cato, qui non modo multorum regum dona, sed Pompeij etiam affinitatem repudiauit, ne priuatam amicitiam sequens, publicam desereret. Ô sanctitatem antiquorum: & nostrorum temporum inuerecundiam. Illi propter virtutem magna munera contempserunt: hæc propter expugnandam libertatem paruas largitiones receperunt. Aliqui emolumentis à libertate communi tuenda abducuntur: nonnulli Magistratibus oblati delirant; tam se magistratu eo in honestantes, quàm communem salutem & libertatem præsentaneo periculo exponentes: Omnes concipiunt, quam sit res dura, & reipub. exitiosa illi citis artibus conquirere magistratus: non potest bene regere, qui illegitimè acquisiuit magistratum. Et hæc vna res ciuib; liberis eripit libertatem, cupiditas nimirum, siue opum, siue dignitatum. Igitur liber ille, qui à beneficijs liber: iumentum is & infamis esse debet, qui multis alienis oneratus

ratus beneficijs. Liber quōq; est, qui nihil exhorre-
scit, præter patratōrū turpitudinem; & tales soli ve-
rè sunt liberi; nec illis quavis ratione libertas eripi
potest. vita facilius à carnificibus, nam vitam habe-
mus à natura, opes à fortuna, à virtute libertatem,
à fortitudine videlicet animi: nam ista antiquis sola
fuit virtus: Non omnes belluinum habent robur,
quia hoc à naturæ proficiscitur beneficio; fortitu-
do & animi tranquillitas cum virtute cuiusq; no-
strum persistit, sine virtute nunquam. Iniuriā timen-
da non est libero homini, quia hæc inferentem in-
honestat, cui illata, magnum affert decus, cum com-
miseratione: Nemo est tam potens, qui sua poten-
tia futuri sæculi memoriam extinguere valeat: suum
unicuiq; decus posteritas rependet, & iustissimum
quidem, cum favor, invidia, odium, metusq; cessa-
bunt. Cur potentum extimescere debemus insani-
am? qui Fortunæ mancipia sunt, breui, & veras, &
multas calamitates, supportaturi. Liber homo nun-
quam: atrocissimas, qui fortunam sibi captant, ca-
lamitates supportare tenentur. Liber Cato, quia non
posse sibi inferi iniuriam, non dubitavit. Quoties
Pompeium obiurgavit? perfidas quasdam machi-
nationes animo agitantem: Quid dicam? cum eun-
dem Pompeium cum Metello Tribunoplebis: qui
armatis circumfessa curia seque tanquam pro Tr-
buna

huali sedentes non dirempturos existimarēt: mediū
inter vtramq; locum sibi assumens, diremit. ac con-
siliū vtriusq; ad nihilum redegit. Plus vnus Cato,
liber, nudus, quàm tot millia armatorum Pompeij
& Metelli seruorum, valuerunt: duo potentissimi,
vni libero homini cesserunt. Huius animi magnitu-
dine, Iulius Cæsar pene orbis terrarum victor, com-
motus, cum sanctum illud, & venerabile omnibus
sæculis cadauer conspexisset. lachrymatus dixit. Tu
Cato, inuidisti mihi vitam, ego tibi mortem inui-
deo. Et cum Cicero vir summus, vt dignum fuit, sum-
mi viri, eiusdem Catonis laudes scripto similis no-
minis, complexus esset; non tulit agrè Cæsar sapi-
entissimus. magnum à magno deprædicari, rem eam
inferiore quoq; indignam censens. sed ipse quoque
scripto Anticatone appellato, rem eandem dilluit,
non aliter quàm si coram vniuersi orbis iudicibus
causam egisset. Ita q; cum Cremutio Cordo perfidè
& tyrannicè actum, qui ob virtutem laudatam, vi-
tam inedia finire iussus fuit virum innocentem ma-
nu humana violandum nefas existimans. Hic. Ty-
ranni animum offenderat, quia multos Romano-
rum in Pharsalia occidisse, omnes in Philippicis
scripsisset. Cautè ille, sed verissimè: nam cum sæ-
pe Romani: post Brutum & Cassium, nemo perse-
cutus tyrannos: omnes impunè tyrannidis suæ vim
exercue-

exercuerunt. Cordus quidem, si hoc genere mortis non moreretur, clarus adeò non fuisset, minusq; scriptum hoc gratum orbi terrarum esset. Tyberius mitior tyrannus, quàm nunc, iudicaretur: verum & tyrannus suam crudelitatem, & virtutem innocentiamq; Cordi vniuerso orbi publicauit, nec potuit magis inclarescere vir is magni ingenij, & historia sua nobilissima, quàm ista Tyranni iniuria: nam punitorum ingeniorum gliscit authoritas. Liberrimum Regulum Romanum esse asseribamus tot sæculis, & fuit quidem, cui libertas immanitate, Carthaginensium eripi non potuit: non graues illi torturæ ac tormenta, dictu etiam grauissima, vt sua animi libertate, Romanam conseruasset. Magnum id fuit ceterè magnum, & vix credibile gentibus videbatur. Desinant mirari nationes, Poloni, Veneti, & Hollandi id tolerare possunt. Non dico quòd non graues torturæ & tormenta iucunda: quis acerbitatem si non sensit. audiuit; si non audiuit, vidit. Sed ista tolerabilia animo libero, quis dubitabit? Kazimirscius noster à tyranno Moscouitico Sacramento obstrictus, ad teuertendum, si, pacem inter se & reip. nostram non perfecerit: Non modo, non reuerti ad tormenta & carceres immanissimi tyranni, non sustinuit, sed etiam planum facere reip. quibus opus habebat, non dubitauit. Magna libertatis vis, in-

gens Rerumpub. dignitas. Atq; priuatim retinendæ
libertatem, non sunt alij nec plures modi. Publicè
& alij, & multò plures. Seruendi, quis enumerabit?
Nam seruos stultos esse oportet, quorum infinitus
est numerus: vnus tamen præ cæteris vulgarior: le-
uis admodum, & mirifice stultum vulgus illaqueans,
epulæ scilicet, quibus olim Roma corrupta: nunc
nostrà tempora corrumpuntur: Et verò Romanis id
à principio res leuissima videbatur. plebi, propter
suffragia Comitiorum, apponere epulum: Successu
tamen temporis, propter stultam plebem & ambi-
tiosorum potentiam, magnum periculum libertatis
istud, deprehensum fuit: nam quod non licuit bo-
nis, ambi. iosi audebant: populi fauores captantes:
& studio epularum, non studio libertatis suffragia
se rebantur: serò id animaduersum; serò dico, quia
corrigi non potuit. Et tanti mali primum autho-
rem, vt mortui posteritas puniretur, diligentissima
inquisitione, Cato & Cicero vi. i prudentissimi cum
reliquo Senatu, inuenire nequibant. O tempora,
ô mores, ruimus in simile exitium, & quidem aper-
tissimum; muscarum instar, quæ vt illaquearentur,
dulcedine & epulo inuitari consueuerunt; conuo-
lant turmatim perditæ, capiuntur, suffocantur. O
epulones peruersi quam exigua re, libertatem ve-
stram perditis; vocis primò, vitæ postea. Leuis res
tibi vi-

tibi videtur, ferre suffragium conforme conuiuij apparitori; leuiter effutis, quod tibi paulò post, senties grauiſſimum: Tu ſis leuis, vt apparitorem tuum grauem tibi facias. Fraus eſt, quomodo non perfidia, perfidia eſt, quomodo non ſcelus? Et tibi Zamofci quis illud crimini, obijcit, quod ſolus Regem feceris? quis inquam, iſtud tibi imponit ſcelus? viro ampiſſimo, vita & moribus integerrimo, Patriæ & libertatis amantiſſimo? quæ integritas decretorum, quis valor iudiciorum, quæ authoritas rerum geſtarum fuiſſet? quomodo legitimè reſp. adminiſtrari potuit? Non credo, non audiui, non feram hoc ſcelus, imponi huic viro integerrimo. Defendam eum mortuum, qui viuus defendebat reipub. libertatem.

CAP: III. Paucos ante annos in Sileſia honeſtè cuidam educato puero, enatus dens aureus maxillaris: non minus fidem ambiguum audientibus, ſtuporem ad lydium lapidem probantibus, quàm medicorum clarifſimorum certamini, non exiguam materiam ſuppeditauerat: Nam ad contumelias uſq; excuſum fuit. Alij naturaliter; ſecus alij id fieri arbitrabantur. Horum alij ſympathiam dicunt conuenientiam: contrarias qualitates rerum, aiunt, antypathiam. Quid ineptius? Feles & Canes ficci & calidi: vnde antypathia? feles quidem ipſa made-

factione moriuntur Plurima calida, non pauca frigidapurgant, vnde sympathia? Heliotropij flosculus obuertit suam faciem solem versus: igitur propter qualitatum conuenientiam. Quis dicet? Cum cæterarum herbarum flosculi eiusdem qualitatis id non faciant? Multa ex industria, sed falso dixere Medici. & catharactæ sanguinis ne imum petat inepta est ratio. nihil in suo loco graue: nullum præcipitium pertimescendum. Sed quid? Pauca apud medicos vera; id certissimum, multam pecuniam coaceruari posse. non desunt tamen, qui accipiendi fecerunt modum ingenium exercentes. Mederi reip. morbis, id magnum est. Quid iuuat? quot modis dicatur resp. cognoscere? sed quid illi debeamus, id & docendum, & discendum. Quorsum difficillimæ? & multæ, huius generis controuersia? & obruunt tantum ingenia, rebusp. verò exitiosa sunt: eò dementiæ ventum est, vt eam solam sapientiam aliqui appellent, de rebusp. Ciuibus, libertate differere impium iudicantes. hucusq; tyrannis processit: Nec satis est, res adeò necessarias negligi, sed non prohibere, piaculum esse arbitrantur: quæ crudelis Machometi, inuentio, multis sanctis Patribus ludibrio fuit; quia non rationibus, sed gladio rem suam defensam esse voluit. Quid mirum? Cum rationibus defensam esse non posse viderit, veritas vt oleum enata,

enatat, gladio opus non habet : fortior veritas quàm
gladius. Differuimus de Ciue, de bono dicamus.
Nam quamuis mali nulli sint, nam idem essent quod
hostes sunt: boni ciues certè sunt, & valdè necessa-
rij. Catilinam non appellabo malum ciuem, quia
hostis fuit, vt iam dictum est. Cur namq; puniretur
eo, quò modo hostes puniri consueuerunt. Honor
cui debetur, mors hosti infligenda, & malos eadem
mors expectat: igitur mali, non ciues, sed hostes
sunt. Interest autem multum inter Ciues, & bonos
Ciues: nam hos inter in Ciuitatibus est discrimen
tantum, quia mali, Ciues non sunt. Athoma autem
species ciuium & simplicissima, atq; in tali consti-
tuta gradu, qui diuidi nequit, cui detractū aliquid,
Ciuem euertit. Boni tamen Ciues, plurimos ha-
bent gradus, quibus vnus ab altero differt, ac vnus
altero melior appellari potest. Bonus erat Stennas
ille Ciuis Hymæus, cuius Patriam cum Pompeius
euertere decreuisset, eò quia hostium studia fuisset
sequuta: Vir is egregius & bonus Ciuis, in se vnum
culpam Ciuitatis transtulit, vt morte sua, patriam
subleuaret: atque se fuisse criminis istius magistrum
& auctorem fassus: amicos gratia decipiens, aduer-
santes vi & iniuria. Ita vir innocentissimus morte
sua, delicta conciuum suorum expiare studuit. Bo-
nus Ciuis Cicero, vim sui ingenij vtilitati reip. ac-

commodans. Melior Cato : quia nullius studio, sed tantum reip. amore ducebatur : ac nemini adulatus est. qua in re vna Cicero errauit ; Octauium præponendum ducens. Et si licet sacra miscere prophanis, noster S. Stanislaus Martyr mortem oppetijt, non propter villam : Quid ad Regem hoc fuit ? sed propter amorem suorum conciuium, quos Rex crudelis barbarè tractabat : hæc causa fuit, villa occasio vlciscendi illam piam libertatem dicendi. Et noster Sbigneus Olesnicius bonus ciuis, qui Regi Casimiro licentiosius dominari prætendenti obtitit. atq; ab huiusmodi illicito dominatu dehortatus est. Cui Rex ambitiosè nimis: Rex sum : ille verò; At non imperator : caue imperes, dum tibi regere permissum. Et ex his bonis Ciuibus Senatus eligitur, qui optimi esse videantur, atq; à cupiditate & metu, quàm procul fuissent. Nam Senatus aliud non est, quàm optimorum Ciuium secretio, cuius in rep. libera, autoritas summa : Et quamuis quilibet Senator Rege inferior sit ; tamen Senatus non minoris quàm Princeps est autoritatis : atq; rationes factorum à Principibus exigendi habet facultatem : Nam maiorem dare non potuisset, quàm ipse habeat potestatem. Verum qualem dat talem habet, & maiorem habere potest, quàm dederit. Profectò maiorem dare, quàm habeat, à ratione est alienissimum. Ita q;

in re-

in rebusp. liberis Rex esse malus nequit: bonus v-
tiq; dico. si Senatus bonus. Nam cardo rei in isto
conistit. Tantum habet resp. felicitatis & gloria,
quantum Senatus virtutis & animi: à Principibus
gloria proficisci potest, publica calamitas, vlla. Age-
filaus gloriosissimus Rex Lacedæmoniorum (neq;
enim Rex facit Regnum, sed cum Senaru resp est: &
nemo vnquam Regnum Lacedæmoniorum, sed
remp. omnes appellauerunt) is inquam, cum à Se-
nату amplissimo integerrima felicitate, & summa
gloria recepisset remp. regendam; hominumq; in-
terea immutata virtute post fata Lysandri viri anti-
quæ virtutis, & gloriam felicitatemq; reip. immu-
tari oportebat. Itaq; Thebani terras Lacedæmo-
niorū vastantes Spartam vsq; progressi sunt. Et tum
primū & hostis in pomœrijs reip. & fumus ab hoste
excitatus Spartha videri potuit: conuolat qualif-
cunq; Senatus; obiurgat Regem: redde inquit, no-
bis talem, qualem accepisti remp. Nam pati vnus
infelicitatem aut malignitatem infamè fuit & pro-
brosū. Quamobrem multi multarum nationum
Reges, ijq; absoluti. exauctorati erant si aut crude-
les in subditos, aut inutiles publicè fuerunt. Hun-
gari, Angli, Galli, nonnullos è solijs exturbauerunt.
Et Veneti. tempore nostro diligentissimi reip. ob-
seruatores. Quid? Perfidas igitur tot nationes ap-
pellabis?

pellabis? minimè: non fides eorum suspecta, sed libertas & resp inuiolata: turpis est tyrannidis patientia: neq; belli vllum periculum, tam graue, quàm seruitus turpissima est. Habet & inter Religiosos patientia modum, nemo seruitutem passus est patienter sed abiectè: turpis & homine indigna huiusmodi patientia; nam non à virtute, sed ab animi vitio procedere solet: Et qui tyrannidem passi sunt, nihil laudis propter patientiam, satis infamiæ, contumeliæ, probri, retulerunt, quæ diuturnitate sæculorum nunquam abolebuntur. Iactis igitur Ciuis fundamentis, qui sine gradibus est; ad bonum Ciuem descendamus; quia is diuersus ex distinctis differentijs fit, & tanquam in species certas dilabitur: gradusq; quibus bonus Ciuis completur, multi, & vnus altero perfectior: vltimus, quia perfectissimus optimum facit ciuem. De singulis ordine.

CAP: IV. Multa rebus in singulis comprehenduntur. quorum aliqua tanquam ex lege sunt: aliqua tanquam ornamenta rebus adstant. rei dignitatem perficientia. vt gratia exempli. Hominem complet ratio, quem tamen exornat prudentia, perficit sapientia: ratio facit hominem, sed homines postea prudentia & sapientia, & digniores & meliores efficiunt. Ex lege ferè indicta sunt ciuibus nonnulla: alia non sunt ex lege, sed ea, vt quisq; est studiosus reipub.

reipub. ita eadem arripit, quæ maias pondus faci-
unt, quia & maiorem laborum in publicis rebus
quantitatem. Atq; omnibus ex lege est, non desere-
re remp. in publicè dandis cōsilijs: etenim tam pri-
uata quàm publica vita innititur consilijs & sustine-
tur. Multaq; loca ac tempora, diuersa instituta vbi,
& quādo populi concursus maximus fieri consuevit,
de publicis necessitatibus tractandi & decernendi.
Quod tamen quia in primis est necessarium, & exi-
guo damno id expediri potest. hoc omnino sustinē-
dum est. Nam si nos pro alijs damnum exiguum non
sustinuerimus, quomodo alij pro nobis sustinebunt
magna? Quilibet igitur pro se sustineat, ne liberta-
tis publicum amittat beneficium. Neq; aliud Ciu-
um officium est, & facilius & magis necessarium.
Magna enim est vis publicorum Consiliorum, oc-
culte q; superi eis opitulari videntur. Confluit inter-
dum plebs sine oleo, non tamen sine igne, quo tene-
bras quasuis reip. illuminare possat. Vbi minus li-
terarum, quam Venetijs nunc, olim apud Lacedæ-
monios, publicè tamen admirabiles conseruandæ
reipub. inueniunt modos & certè admodum viles:
domo quidem simplices egressi. cum sanctuarium
illud consilij intrauerunt; cælitus videtur illis lapsa
sapientia, & planè noua ingenij ipsorum conspicitur
facies, Et mehercule pro sacrosancto publicum cō-

filium habendum. Pro ratione autem cuiusq; ingenij, consilia adferenda: ab omnibus tamen: quia nemo sine ingenio esse potest: magis alij, minus nonnulli: quid tum & respondeat quilibet officio, si rerum perplexitati respondere non valet. Non omnibus in promptu excogitandi modos, retinendæ rei, auferendæ difficultatis, expugnandarum urbium, delendorum hostium. sunt tamen in multitudine huius generis, qui cogendi ad publica conuenticula, ne voluptate illiberalis ocij, suis præsidijs rep. destituant, si fortè aliquis ciuem se esse satis habeat, nec ut sit bonus contendat. Multi suam quietam sequuntur naturam: sed hac in re natura est vincenda, ne oppressi à naturâ, cum rep. pereamus. Itaq; ab ingeniosissimis & sapientissimis consilia accipienda: de allatis multitudo iudicet, quæ rem facilius, quàm pauci penetrant. Quid igitur & sapientes disputabunt: stulti concludent & minimè verò. Alius intellectus est multitudinis, & valdè diuersus ab intellectu singulorum. Diuinum inest multitudini ingenium: magisq; quò multitudo est copiosior. Neq; verò publica consilia tantum consistunt in conficiendo res, sed in cohibendo etiam feruorè ingeniosorum, quorum vis ad actiones arduas valde propensa. Et fræno & calcari equitantibus est opus, interdum sine calcari: sine fræno quis equitauit & Temperare
res mul-

res multitudo consuevit; nunquam præceps in pe-
ricula ruit: paucitati alius sensus est. Romæ Senatus
sapientissimus habebatur, qui plurimum ingenio va-
lebat. Tribuni tamen instituti, qui naturam multi-
tudinis præseferbant; nec valebant tantum in con-
stituendo, quantum in prohibendo, quæ illis minus
probabilia apparebant. Ruunt quidam præcipites
in gratiam Principum, periculorum rationes non
perpendentes: quorum animus turpem in seruitu-
tem iam abductus, corpore vix soluto permanente:
non desunt qui animi sui excelsis spiritibus corrip-
untur; & extra se, quia interdum ultra vires cupidita-
te gloriæ rapiuntur: quibus occasiones habere bel-
li, & difficultatem sufficit: incertum vires suscepu-
ras, quas animus nunquam supplebit. sed hoc non
absq; periculo exitij publici fit. Cuiusmodi fuit
Athenis Alcibiades, qui non tantum periculosissi-
mum bellum, quantum certissimam pacem asper-
nabatur: & qui semper occultè incendebat bella:
publicè nunquam à bello alieno fuit animo. Erat
enim animo ad gloriam natus excelsus, atq; ad euer-
tendum hostes promotissimo. Huiusmodi animis
fræno opus est, ne in præcipitium reimp. deferant,
tanquam illi equi, qui audito classico sese non con-
tinerent, nisi continerentur. Profectò comitiorum
consilia, conflictus animorum est, & certamen in-

flammant alij, extinguunt quidam, abducunt nonnulli, reducunt aliqui; vt sanè fit in bello à peritis imperatoribus, qui hostem pugnacissimum sola cunctatione conficiuat. Vt olim noster Carolus Chotkieuicius: cunctatione primò debilitandum Turcam aggressus, viribus eundem deinceps aggressurus, quem cum legatus Turcicus in castris conuenisset, quam primum aleam prælij facere velit interrogaturus: Dum inquit mecum decreuero, nō puto tamen me decreturum ante triennium: quo remisso nuncio, reputans secum Turcus, quanta belli machina esset sustinenda, & quanto tempore, ad tumultuarias oppugnationes animum admouit, ingenti suorum clade. Quod bellum animo & prudentia Herois inclyti Stanislai Lubomirscij, cum gloria non minus reip. nostræ, quàm totius Christiani orbis, postea eisdem castris expeditum fuit. Et quidem feruorem Turcicum cunctatione posse vinci, magni Imperatores quiq; prodiderunt. Inest enim immanitati ipsorum ferocitas. quædam ardorq; in principio, qui cum tempore perit. Legeq; quædam Mahometi illius perfidi indictum, vt Iulio & Augusto Mensibus, bella difficiliora expediant, qui Menses caloribus suis furori ipsorum accommodatiores, quamuis ille superstitione quadam rem obscurauisset. Cunctatione Iulius Cæsar Gallorum feruorem
supera-

superauit; vt & ipse suis in Commentarijs scripsit.
Non Marcellus pugnando, sed Fabius Maximus in
Castris se continendo Annibalem posse superari do-
cuit. Quid mirum? Physici docuerunt; in magna
actiuitate, nullam resistantiam. Oportet igitur per-
missionem fieri animorum publicis in consilijs; ne
aut parum cordati, aut minus effrænes videamur:
fræno laxatis opus est, calcari timidis; quæ in multi-
tudine fieri solent. Exuberant non pauci maligni-
tate, cæcaq; quadam & pertinaci cupiditate, quo-
rum maliciam multitudo refrænabit: atq; si non tur-
pitudine rei, aut metu, aut verecundia multitudinis
compescentur. Magna vis conscientiæ, faciliè in
multitudine verecundia facti conturbantur. atque
illam inmanitatem quam contra Pænates animo a-
gitant, abijcient. Exacerbatus Coriolanus plebis
Romanæ iniurijs, multitudini se placandum exhibuit;
mulierum dico, nondum enim venerat ad vi-
rorum oculos. Nemo est tam sceleratus, qui scele-
ratum se vniuersis exhibuerit; occultant omnes su-
am peruersitatem. Et quidam noster, quem appel-
landum non censeo facinoris cuiusdam causa pro-
scriptus, atrocitatem rei ob verecundiam multorum
deprecatus est, atq; capite plecti, quàm infamia no-
tari elegit. Grauis est ipsa infamia, sed verecundia
longè grauior: leuior mors, quæ ex quo temporis

spatio, cum verecundia expediuntur. Saevissimus est
carnifex, mala conscientia, quia nūquam à torturis
abscedit. Memini ego teste Cic. summo viro in de-
fensione Sex. Roscij. T. Clelium, hominem non ob-
scurum, noctu in cōclavi interemptum vestigia nul-
la latronis apparuisse, atq; in quem suspitio homi-
cidij cadere possit, prater duos adolescentes secum
vnâ cubantes, non fuit. Hi tamen, quia dormientes
deprehenso, facti suspitione, sapientissimo iudicio,
liberati sunt. Nemo enim putabat quenquam esse,
qui cum omnia humana atq; diuina iura scelere ne-
fario poluisset, somnum statim capere potuisset:
propterea, quod qui tantum facinus commiserunt,
non modo sine cura quiescere, sed ne respirare qui-
dem sine metu, possunt. Quæ maior esse potest, per-
fidia, scelus, parricidium, quàm nocere velle Patriæ?
esto nemo id animo agitet, satis est, sibi prodesse,
habere animum; quia hoc sine publico incommo-
do esse nequit. Quomodo itaq; iste perfidus ho-
muncio, iste sceleratissimus parricida, non deiciet
animum multitudinis oculis vndiq; circumseptus?
quomodo respirare audebit? quomodo loquendo
non titubabit? quomodo in sermone non errabit?
Si solus se perturbabat, quomodo in oculis multi-
tudinis non commouebitur? Neq; verò multitudo
ad refranandam audaciam malorum tantum valet,
valet

valet etiam ad retinendos in officio bonos Ciues,
vt reddant reipublicæ, quod officium cuiusque ex-
postulat. Non omnes cordati nascuntur: aliqui ti-
midioris animi. Nec omnes sunt potentes, aliquos
dereliquit fortuna: Sunt tamen à quibus, procella
ista, derelicta est. Atque in ea paucitate hominum,
qui pro commodo & dignitate publica comparent,
laborandum est, vt multitudo confluat, firmando-
rum illorum causa, qui communitatis negotium su-
sceperunt defendendum. Multi erunt, illa in con-
gregatione quibus nihil est promissum; multo plu-
res quibus nihil datum. Sunt qui integram fidem
seruant reipubl. sunt qui vlllo vnquam scelere pollui
volunt. Hi facile, technas, fraudes, dolos perspicient
maleuolorum: bonarum partium amplectentes, &
tuentes consilia, quæ, sine multitudine, vis & auda-
cia maleuolorum, obrueret. Neque enim apud nos
Democraticus status, & stupidi vulgi respublica est,
vt perperam non nulli arbitrantur: sed eorum, qui,
à maioribus, viris probatissimis descendentes, virtu-
tes ipsorum hæreditate retinuerunt. Sunt qui hære-
ditatem parentum suorum abliguriuerunt, & ij pau-
peres facti. Cur non fiunt ignobiles? qui maiorum
suorum virtutem repudiauerunt: adeòne infelix est
virtus? vt diuitiæ sine pecunia nequaquam. nobili-
tas sine virtute remaneat? Latrocinari, furari, gra-
uissimum

uissimum est. longè grauius ex republica quæstum
quærere: nam hoc supra omnia furta, supra omnia
est latrocinia. Et uero sine sanguine, hoc genus la-
trocinij esse uidetur? ita quidem in principio, postea
nullus locus non redundabit sanguine. Et dum isti
sceleratissimi nullum se despoliauisse arbitrantur:
omnes despoliarunt, dum nihil se furatos esse: ma-
xima quæq; furati sunt. Itaq; quia multitudo, obest
maleuolis, ac vim eorum hebetat. honos uerò con-
firmat, ac eorum animum auget: ciuis bonus istam
multitudinem deserere non debet, nam & rempub.
vniuersam deseruisset, quod est contra officium bo-
ni ciuis.

CAP: V. Altera pars præcedentis esse debebat.
prolixitas ne fastidium pareret, studio è seiunximus.
De periculis dicendum. Quia uerò unicuiq; defen-
sio, nec prohibita, nec indicta: maioris est momēti
subuenire periculis, quam adesse publicis consilijs:
quia ista sine periculo expediri possunt: pericula nō
sine discrimine adeuntur. uel secernamus istam am-
biguitatem; de defensionibus priuatim iniurias susti-
nere licet: publicè nequaquam. Probrosus est pati
Tyrannorum iniurias, contumelias, crudelitates.
Cato non sustinuit ambitionem Cæsaris, superbiam
Pompeij, perfidiam Metelli: quia ista reipubl. erant
nociua. Detrahi sibi togam, sputis conspurcari, se
fauciari,

laurari, ægrè non tulit. Cõtumelias iniuriasq; pati
diuersas, est purgari: Esse superstitem, post Fata pa-
triæ vel libertatis, turpissimum: æquè ac prodere
Patriam, nam proditores elabi consueuerunt. Reput-
ter quisque secum, quàm sit turpe grauissimis inmi-
nentibus periculis, cogitare in primis magnam vim
auri ac argenti, nauibus onustis exportãdam. Non-
ne? proditor is patriæ, qui publica ista bona rapere
auderet? Publica sunt in periculis: quia reipublicæ
causa, Fata priuatos thesauros, magnatibus concre-
diderunt: quorum sunt in pace cõstituta republica:
periculosus temporibus publica esse debent: neque
enim vis tanta diuitiarum colligi potuisset, nisi pu-
blicè hostilis impetus, sustineretur & cohiberentur
incurfiones: Quid porro de ijs existimandum veni-
et? qui. quidquid habent ex reipublicæ bonis pu-
blicis id totum acquisiuerunt? Et patet, exportatio-
nes huiusmodi esse illicitas, & prohibendas, propter
ingratitude ab omnibus legibus, cõdemnatam.
Quid vitam? nec hanc exportare licet imminente
periculo. quia & hæc publicè accepta. & quasi va-
dimonij norma obligata. quæ toties vt propagare-
tur, defensa, ac conseruata extitit. Brutis animanti-
bus, vbi bene, ibi patria, solam camporum vberta-
tem sequuntur, fines non dignoscunt: igitur, vbi be-
ne, prouipere se, belluinum: Tueri loca in quibus

nati sumus, & ad quæ tutâ da à Deo videmur deputati, humanum est. Quoties Roma desperata salute. ab exitio liberata est? Quoties per mulieres? non semper per viros. ne illæ solæ vllum vnquam obsequium patriæ præstitisse scriberentur. Maior gloriæ cupiditas & communis salutis cura, mulieribus olim. quàm nunc viris: Nam hoc sæculo, sæpè viri. illo, nunquam mulieres patriam deserebant: sed sui cum capitis periculo: hostiles impressiones repellebant: non minus fortiter quàm viri, acies tellorum sustinentes. Sæpè id Romæ, apud Lacedæmonios non raro. Et recentissimè Patrum nostrorum memoria. in Liuonia, in Moscouia: magnum mulierum animum. & inuictum, pleriq; viderunt. in patriæ periculis amouendis. Præceteris tamen mirabile est. Egriam in Hungaria oppugnante Turca, octuaginta mulieres eruptionem fecisse. magnamq; Turcarum stragem edidisse. Et cum vna quæq; earum, virili, & sanè egregio animo se æquasset, vna omnes superauit audacia & fortitudine, Camillum non mulierem existimares. Harum aliquot cesarum cadauera, sexum prodiderunt. Pudebat Turcas mulieribus fortitudinis. remq; sibi ignominiosam, Solimanus, subiecendâ serio imperauerat. Quisq; est obligatus, patriæ in periculis ad subueniendum, tanquam ad commune incendium: extinguendum. vt

domus

domus domesticis, ciuitas oppidanis ita Patria communis vna domus est, communia quoq; pericula æquale omnium discrimen. Itaq; bonus Ciuis Romanus Camillus, quem, cum iam calamitas non vriffet: Patriæ amor & Romana clades vriffit ne se in locis tutis contineret, sed in periculosa, vt transfret. aut occumbendi: aut patriam subleuandi causa. Bonus Scipio Africanus, qui Principes ciuitatis, post Cannensem pugnam, fugam molientes, vi adegit iurare, se non discessuros, sed patriam ad extremum sanguinem defensuros. Quod si & is vir toto orbe clarissimus, in ea multitudine non esset non Romani pericula, ista, Romanos vicissent. Quocirca demissè nimis Andreas Thencinius, quam par fuit, illustrissimæ familiæ coronam Poloniæ sibi oblatam, detrectauit. nescio quid causatus: Et quam exteri, auidè nimis arripere omnem lapidem mouebant ille abiectè non recepit: quasi plus, rotifex vnus, aut duo artifices ingenio valuissent quam iste, clarissimis ortus parentibus, & liberaliter educatus: vel à natura, vel ab educatione, satis poterat habere animi. satis virtutis, non modo ad retinendam, sed etiam ad augendam gloriam pariter coronatus, non defuisset publicis periculis. ac si & priuatus iisdem intererat. Plures in fuga quàm in pralio occiduntur. Periculis exacuuntur generosi animi plebeij concidunt;

dunt; & præter periculum vincuntur. Quid defuit
clarissimæ huic Reipub. præter hoc quia familias or-
namentis Regi s conspicuas, nullas habebat, quæ
exteris nationibus magno sunt ornamento. Sunt in
Gallia Familiæ tanquam Seminaria Regum. Erant
in Bohemia, quæ reges suo è sanguine ostentabant.
In Moravia: è quorum domibus inclyti prodierunt
Principes. Quid pulchrius? quam, tam illustres ha-
bere pænates, tam pulchra ornamenta, tam conspi-
cuas & verè domesticas imagines, quas ingenti cum
admiratione, Nikilspurgi apud Dieterstainum Car-
dinalem amplissimum, & verè animi Regij vidi
perlegi, & admiratus sum: quamuis satis esset, in
eius vultu, maiestatem Regiam, depictam à natura,
conspici. Venetijs id in primis grauissimū est; quod
in domibus priuatis patriciorum, pulcherrime elab-
borata simulachra conspiciuntur, ornatissimorum
Ducum, quos quisq; suo sanguini contubernales ha-
bebat. Graue erat apud nos illud periculum, cum
præter: Reipublicæ sententiam peruicaci quadam
temeritate. Vi & armis potius, quàm recta septi ra-
tione aliqui: illum Regem publicauerunt, quem fi-
nem reipublicæ alaturum certo omnes sciebant, cum
passim ab ista Familia venturum malum hoc, vati-
cinium circumfereretur: quod contempsisse, mul-
tas gentes pœnituit, & pœnitet hucusq;. Verum, qui
contrat-

Contrauerunt, audaciaq; & fortitudine, periculum tantum suffocauerunt, ciues optimi fuerunt. Non semper malitia opprimit virtutem, virtus saepe superauit malitiam: semper tamen virtus triumphat, tanquam aurum quod aduri potest, comburi nunquam. Magnum hoc & egregium factum quem habeat auctorem, Chronica nostra subticuerunt: verum quia recens carum rerum est memoria. Andream Firleium Patres nostri, auctorem tam eximiae rei fuisse tradiderunt. Et ab illis temporibus, quidquid libertatis, & reipublicae habemus. habemus autem satis, virtute huius Familiae hucusq; retinemus. Summi isti viri semper fuere: Nam Nicolaus Firleius ille vir antiquus, omnes sui temporis, sub Casimiro, Ioanne Alberto, Alexandro, Regibus Poloniae suos conciuces ingenio virtute & fortuna superauit, cuius propter probitatem, ac pietatem veram & sinceram erga Patriam posteritas publicis & priuatis rebus felicissima facta. Adeo autem omnes virtute claruerunt, vt Sigismundus Augustus Rex noster, Ioanni Firleio, testimoniũ dederit: virum esse cui & Resp. libertatem suam & Reges rerum suarum summam, sine periculo cõcredere possunt, quod Rex ipse sapius fecit: eiq; praecipue Rempub. commendabat, si fuisset post Regis fata superstes, nec quidem spe sua frustratus Rex prudentissimus, & libertatis sub-

ditorum, contra consuetudinem Regum amantissimus. Nos ad institutum nostrum & ad aliud genus ciuium conuertamur ab hoc amplissimo nido Senatorum. Sunt tamen in rebus publicis, qui maiorem habent potentiam ijs, qui fortunarum habent minus, quibus voluntatis & animi satis, potestatis nihil remansit: Nam illud à virtute à fortuna hoc proficiscitur. Sed, qui potentia plus habent, maiora debent reipublicæ, quia à virtute excusari non possunt, tanquam ab ea re, ad quam omnes nascimur. Ad eam, quia accesserunt facultates, vires etiam non mediocres attulerunt. Parum virtus sine facultatibus potest: nam seipsa contenta, seipsam sæpè tueretur, alienam malignitatem non inuadit. Et quidem aliquando, sed hoc magnæ virtutis est specimen. Ut de Dione Syracusano legimus, cui virtus sola sufficiebat, ad opprimendos Tyrannos quam propter eius virtutem: amicorum illius auctoritas, summæ apud exteros venerationis fuit, apud ipsos deniq; Tyrannos: magnitudine virtutis huius summi viri in admirationem raptos, quod sine potentia, res tantas aggressus confecisset. Rex fuit Tarquinius Superbus, illo inferior Brutus, & hic tamen non extra potentiam: igitur hic primus, ob suspicionem decussionis papauerum, quæstionemq; quomodo firmâ sibi Romæ compararet imperium; Tarquinius à Bruto pul-

to pulsus est. Non adeo vsq; graue fuit, Lucretiam
à Filio violari. nec Pater scelere Filij tenebatur, ex-
turbatus tamen regno est, propter suspicionem cō-
parandi sibi Dominij. Tyrannus appellatus non
quod fuisset, sed quia comparandi Tyrannidem ha-
bebat animum. Et quidem, impotentes, rebus de-
speratis, subuenire debent. potentes, & suspensiones
præoccupare. Verumenimvero, periculum graue
est, & qui periculum amat, in periculo peribit. Nū-
quam perijt, qui omnes vt viuant, perijt. Perire ante
oppressam libertatem bonum est, liberata ea perire
magnum est, & sempiternæ memoriæ monumen-
tum, & gentes literarum penitùs ignaræ æterna me-
moria virtutem tantam, propagarunt: nam isti glo-
riosissimi viri, eo admirabili factò, mortalem vitam,
in immortalē, transmutarunt. Interest tamen omni-
bus rebus publicis, audaciam aduersus quæq; excu-
tere pericula. Quomodo? Partes viciniores labo-
ri, duriores sunt, cursores agiliores, agricolæ robu-
stiores, milites audaciores: Itaq; ad militiam vni-
uersa respublica cōuertenda, quisq; nobilium Eque-
stri respondeat ordini, nec tanti momenti res, alijs
concredat. Parua est res cura rerum domesticarum,
si illis auellimur. Quis paterfamilias adeò negligens,
vt sua diligentia rebus non attendat. Quid hoc
in comparatione reipublicæ: equidem hæc, cum
repub.

repub. comparare insipientis est. Nemo aliena tam
ferio defendit, quam quilibet sua. Quisq; nobilis
miles, quiuis miles sit nobilis. Hæc æqualitas, omnia
erradicabit dissensionum semina. Quæsuerunt mul-
ti, discordiarum Romanarum causas non inuenerunt,
quia istam disparitatem ciuium non perceperunt,
periculosam. Quod si aut vniuersam plebem coæ-
quauissent nobilibus, vel nobiles plebi, quod in De-
mocratia necessarium est, penitus discordias sustu-
lissent. Nam nec plebs de dignitate cum nobilibus
contenderet, neq; nobiles propter æqualitatem ple-
bem contemnerent. Et Aristocratia pacatissima in
qua nulli Principes: æqualitas iuris, perpetuam se-
curitatem præstabit: inæqualitas, primum dissen-
sionum, & seditionum principium est. Terribile, &
horribile importari ad nos, illos insuetos & fumosos
valde titulos, qui iam inuidiam sui & merito exci-
tant. Non putent se inde amplitudinem aliquam
consequuturos, sed ignominiam, si sine virtute id
sunt consequuti. Sint tituli magni à virtutibus pro-
cedentes, personis non Familijs annexi, ne liberi
animi cum ambitiosis in certamen deueniant. Tur-
cicus appelletur, qui magno prælio Turcas supera-
uerit. Scyiticus qui Scytas. Moscouiticus qui Mo-
scouitas. Eodem modo à deuictis hostibus ceteri,
appellationem sumant, egregiam sanè, quia non
fraude,

fraude, adulatione, pecunia, sed virtute acquisitam. Quæ impudicitia, magnis nominibus vti velle & se magnum præstare nolle virtute, ingenio, fortitudine. Scio ego inter Kmitas & Tarnouios capitalissimas fuisse inimicitias, quasi Kmitæ, tanquam corrupto vocabulo, comites vocarentur, & esse prætenderent, arroganter id cæteros vsurpare, quæ res cum mali exempli esse conciperetur. in Petricouienti cōuentu, omnibus interdici cœpta fuit, postea factionibus irritatis istis consilijs non perfecta. Eandem rem perspectam habens, Christophorus Sydlouecius, vir sui temporis potentissimus, ad Cæsarem legatus, oblatum sibi Principis titulum non recepit, corona aurea & Dracone suo stemmati additis contentus. Nihilominus & eam ob rem proscindebatur, qua ex occasione de Michæle & Dracone non inelegans cōscriptum Epigramma & nostro habetur sæculo. Videant ciues quam periculosè primogenitorum, Respub. approbauerit ius. data his potestate, plura acquirendi, amittēdi sublata. nam idem hoc quod est, Principes admittere & constituere in Repub. ciuibus superiores. quæ res seditionibus aperit ostium & exitio publicò. Atq; quam sit necessarium, militiam omnibus esse indictam, planum est: nam hæc res, magnam Respub. allatura est potētiam, & securitatem. Securitatem quidem ab exteris, quia

pro aris focusq; defendēdis nō aderit. non pro
alienis vindicandis, quod magnum est, maiorq; cum
ardore rem aggredietur, eo, qui pecunia est condu-
ctus. Nam quem pecunia correxit, pecunia corrū-
pere potest: Exigua si tamen aliqua fides qui castra
sequuntur, quia aliam methodum viuendi præ ma-
nibus non habent, Fugiunt coniugia quia laborare
nesciūt. Quam yberimi prōh dolor, campi inculti in
Rusſia iacent, qui eos colat nemo est. Indicatur of-
ficioſa militia, ordinetur iuſto & debito modo, ple-
na erunt hominum omnia: tollentur latrocinia, in-
uaſiones, deprædationes: hominibus licentioſis, qui
viuendi iuſtam rationem non didicerunt conſuetæ.
Potentiam vero, quia nemo opprimere rempubl.
agitabit animo, quod fieri poſſibile non erit do-
meſticis viribus. Externo mercenario expugnare,
officioſum domeſticum militem, & propter locum,
& propter maiorem feruorem ſuis de rebus decer-
tantem, difficillimum eſt, dico vti dicitur, cæteris
paribus. Huius generis militia, maiores noſtri, olim
receperunt Ruſſiam, Pruſſiam, Liuoniam, & cæte-
ras: quæ ruſus mercenarius antiſit miles, & ſanè
plus amiſſurus, niſi obuiam eatur. Eodem militiae
genere, Romani, Lacedæmonij, Athenienſes, vel di-
cam vniuerſa Græcia uſa, admirabiles res conſecit,
nūquam ex memoria humana exciſuras. Roma tan-
dem pe-

dem perijt, cum officioso non satis confidebat mi-
liti, præsertim cum Cæsar oppressos Romanos in
aciem conductos & armatos, metueret. Quapro-
pter si pericula mala sunt, exacuere animos bonum
est. Quomodo? militia: vt nemo à militia excusa-
tus, ita nullus se non exercebit, animumq; & cor-
pus instruet, quomodo acrior, in propulsandis iniu-
rijs fieri posset. Hoc modo periculis vniuersis obui-
am ibitur, fortitudoq; ciuium extorquebitur etiam
ignauorum. Et nobilitatem vniuersam, armatam,
simul congregari facere, operæ precium est, vt quisq;
& priuatas & publicas palam faciat iniurias, quam
rem Callimachus ille perfidus, in primis esse perti-
mescendam Principibus monuit. Hac viâ recogno-
scet respub. nostra robur suum: maiori parti Euro-
pæ æquatum: nullasq; exterorum vires metuendas
quisq; videbit: & depactandi rempub. auferentur
occasiones. Pigeat aliquando Rempub. extradita-
rum contributionum, quæ aliquos priuatos locu-
pletarunt, rempub. planè ad egestatem redegerunt.
Vnde priuatim tanti thesauri?

CAP: VI. Amplissimum ornamentum boni ci-
uis, omnes suas præclaras actiones publico commo-
do referre, nec digitum à publica utilitate recedere:
quæ res à singulari quadam, & eximia boni ciuis pro-
cedit virtute, virtus quidè est ista, sed in fortunæ be-
neficio

neficio consistit, campumq; debitè extensum requirit : perinde ac ille, qui propter locum angustiorem, commodè armis longioribus vti non valet. Sunt pleriq; viri tales, qui nullum commodum publico antiquius habent, verum aut propter virtutem ad magistratus non admittuntur, aut propter fortunam obscuro sunt. Nam quantum quisq; potest fortunæ is fauor est : Quantum quisq; vult, à virtute id habet. Qui potest incertum si vult, qui vult non potest esse sine virtute. Fauore tamen Fortunæ animi omnium sunt capiendi publicè, vt cum fortuna velit nos perfundare non possit, propter multitudinis studium : incerta vnus gratia. Quid incertius mente vnus hominis ? cum & homo ipse omni momento incertus. Non potest esse nobiscum malè, si bene cum Republica agitur, publica felicitas in omnes redundat, redundat & infelicitas. Et verò in publica felicitate, & pauperes non absq; vitæ iucunditate : in publica calamitate, potentissimi infelicissimi, quia eorum nemo securus. Atq; si vtrorumq; conditionem referre voluerimus, quò potentior quisquam, eò in publica calamitate miserior est, quia quod poterat, non fecit, Casus superiorum grauior quam mediocrium, exiguus egenorum. Nam quemadmodum res ab alto collapsæ magis franguntur, & placè in puluerem reducuntur, si ab altissimo loco ceciderint :

rint: Eodem modo, Principum casus ille grauissi-
mus, quo ab eminentiori loco fuerit. Parum amisit
qui parum habuit, plus ille qui plus possidebat, ac-
quirendi postea ratio dispar, difficillima potenti,
quia laborare nescit. Amittere tamen diuitias, gra-
ue esse non debet, nisi istis qui aliena pro suis repu-
tant. Deponit Fortuna apud sibi similes, sua bona,
quæ non in sinu recondere oportebit, vt cum reci-
pienda venerit: sine nostro fastidio, & grauiamine,
cuius erant restituamus vi auelli à nobis ista non per-
mittamus. Grauem dixi casum magnatum quia gra-
uissimus est, quo altioris gradus isti magnates fue-
rint. Quæ maior contumelia? quam duci in trium-
pho? Quis vnquam duxit in triumpho infimum.
Quis de mediocri triumphauit? De magnatibus tan-
tum id fieri solet, de summis quibusq; viris omnibus,
Principibus, Regibusq; Paulus Æmilius, Pompeius,
Iulius Cæsar, paucos Reges cœperunt ijs tamen quã-
uis paucis, gloriosissimos suos triumphos reddide-
runt, infinitos mediocres, suam in potestatem rede-
gerunt. hos, nihilominus liberè viuere permiserunt.
Et nostra respub. hac ætate, in illa toti orbi terrarum
notissima Imperij Moscouitici, penè euerfione, non
mediocres assumpsit viros, sed summos duntaxat:
Imperatorem videlicet ipsum: Metropolitanas, & ali-
quos, qui cæteris præstabant autoritate, quos tan-

quam in triumpho mēmor fragilitatis humanæ, per
fora, & plateas, vulgo & exteris plenas, non censuit
ducendos, quorum fortuna liberaliter quoad vixe-
runt, publicè est subleuata. Quæ gens? quæ natio?
nos humanitate superauit? Nec modo in hac, sed
etiam in Bycinenſi victoria, ad quam Zamoscius è
tanto Principe referendam, nec immanior accessit,
nec elatior recessit: negotio gloriosissimè confecto,
moderatissimè reportato. Quid calamitosius? quam
è folio duci ad triumphum, è palatio ad baratrum.
Boleslaus audax Rex noster, in palatio natus, in culi-
na aut in stabulo mortuus est. Quæ maior infelici-
tas, rebus in humanis fieri potest? Nemo priuatus:
nemo non potens perdidit remp. isti nebulones suis
peruersis animis, & cupiditatibus, omnium rerump.
libertatem perdiderunt. Eo vsq; defleat cupiditas
honorum, ac diuiciarum: vt meritò, tam in omnes,
publicos magistratus gerentes, quam in omnes po-
tentes conuertamus oculos ac diligentissimè scru-
temur, quid quisq; agat, quid meditetur, quo cum
conuerſetur, qualiter viuat. Et præcipuè, quorsum
actiones suas dirigat: nam hinc tanquam ex vngu-
ibus cognoscitur leo. Hoc arcanum planum redda-
mus. Simplex ratio est cognoscendi istam peruerſi-
tatem: & qui recesserit, ab eo, quod libertati magis
conducere videtur, perfidus iste est, suamq; non
publi.

publicam illè quarit vtilitatem, & leones, à seporibus aureis hamis trahuntur. Nihil obstat prætextus, semper ille speciem habet, sed perfidam, & confictam. Qui autem defendit, promouetq; partem libertati magis arridentem securioremq; purior iste sine rationibus, nam latrones accurtissimis gladijs vtuntur semper. Vir bonus aut sine armis, aut ornamentis causa illa portabit, securitatisuè gratia. Præsertim si recedendo, à partibus libertatem publicam promouentibus ad singularem personam, eamq; talem, qualis emolumento sibi esse possit, descenderit quisquam. Clarum enim fuisse, transtulisse animum, à republica ad cupiditatem qualemcunq;: adulari iste: & seruire incipit: nam adulatio sæuissimum crimen seruitutis, nulla periculorum bellorumq;: maior libertatis habēda ratio, nullū bellum tam graue est, quàm seruitus. Sed non omnes percipiunt, quid sit recedere à fauore libertatis, & reipublicæ. Exemplo res clarior fiat. Pulso Tarquinio superbo pars erat, recipiendum censens, belli difficultates pertimescens, sociorumq; & Porsenæ Regis Hetruscorum, auxilia. Pars altera, libertatem esse tuendam: nec amplius Tyranno concedendam, & quæuis propter libertatem sustinenda. Itaq; illi, qui Tarquinij promouebant partes, à republica recesserunt, quia vnus commodo patrocinati sunt, non reipu-

reipublicæ. Esto iustum id arbitrarentur, verum in
causa publicæ libertatis, fauorem eius non sequi sce-
lus est. Nulla enim difficultas pro libertate non su-
stinenda, quia seruitus omnium malorum vltimum
est. Illa igitur pars, malorum ciuium iudicetur, quæ
reipublicæ non sequitur partes: nec attendatur si
iuste, quia Reipub. tueri partes iustius: & sanè nullus
modorum potest esse iniustus: quini no omnes iu-
stissimi. Quid è si metus causa fecerit & abiecti sunt,
quorum arbitria publicè non audienda, tanquam
fugaces homines in exercitum non recipiendi. Si
fecerunt corrupti, aut spe mercedis, perfidi sunt, cum
istis nihil sit comercij ciuibus, quia ista perfidia ho-
stilis est: & ni ferro pars ista corrupta amputetur, ab
illa exitium publicū prospiciendum. Metelli quoq;
Trib: plebis, & suorum asseclaram, peruersa fuit
opinio, de accersendo in urbem cum exercitu Pom-
peo: Sanior fuit sententia nullo in vrbe exercitu
existente, prohibere hoc, quam aduocare & armare
ambitiosum hominem. Secus postea, cum alter, non
modo in Italiam, sed ipsam in urbem ingressus est:
nam tunc cum liberè viuendi non supererat pote-
stas: meliori seruiendum sanius fuit, si modus alter
retinendi rempub. non supererat, vndiq; oppressa
republica. In rebus magnis ijsque dubiis & pericu-
lofis, tarde se decernere iuuat, fortunæ incōstantiam
operi-

operiēdo, quæ in momento faciem rerum immutat. Quod si vrget periculum, & maleuolentia, non quod tutius, quia hoc modo mulieres, res periculosas, decidere solent, sed quod generosius videbitur, hoc enim virile est. Mulierosi exhorrescant pericula, viri fortes nunquam à virtute recedant. Nec attendendum si vita conseruari potest, sed cum hoc, si honeste. Pyrrhus ingressus est in Italiam, magnum terrorem vrbi incussit, occisione occiso exercitu Romano, vim tamen & magnanimitatem Senatus metuens: miserat Cyneam Oratorem insignem, ad pacem cum illis tentandam, Tarentinorum impunitate obtenta. Securius fuit cum Rege generosissimo, pacem certam sequi, quam dubio exitu belli decertare. Quid illi improbant; vitam pacemq; infamem concluderunt: Legato respondētes: Se à pace faciēda non esse alienos honeste facta: exportet Rex prius ex Italia exercitum, deinceps eadem legatione agat nobiscum: ne aut imperare Rex nobis pacem videatur; aut non liberè id nos fecisse, posteritas iudicet. Wladislaus Rex noster, qui & Hungarorum fuit, proditus penè à Patribus benedictis, qui maledictos Turcas exhorruerunt, exiguam suorum manum secum cernens, cum ad fugam inuitaretur. Ergo inquit inhoneste viuemus, cum honeste moriēdi, necessitas nobis imposita sit. Maluit Rex
I
glorio-

gloriosissimus deserere vitam, quam repudiare gloriam, quæ illius magna propagatur, ac propagabitur sempiternè. Si fugisset, & sibi & genti nostræ, turpem inflixisset notam. Ita quæ omnes suas actiones vitam quæ; publicæ gloriæ accomodare boni est civis. Sicut è contrario, vt huius sæculi sunt mores, publico incommodo, sua quærere commoda: ô perfidiam, à Deo sumus deputati ad loca ista tuenda, quæ prodimus, quæ cupiditate nostra prostituimus. Quæ perfidia? Quod sacrilegium? rem sacrosanctam, contaminare, aliorum sceleri & nefariæ libidini exponere. ô stulticiam, sibi & omnibus afferre interitum. opes, perditè appetentes, vitam perdunt. quæ opum post mortem indigentia? quæ earum in seruitute voluptas? reputent secum & perpendant: perpendant inquam maligni & perditissimi ciues: quid moluntur, quid mente & animo agitant? cum à fauore libertatis reipublicæ, & bonorum omnium existimatione recedunt: recedunt, vt, aut ad opes, aut ad dignitates perueniant sibi contumeliosissimas. Opes, etiam licitè paratæ, sinistram afferunt oppulenti suspicionem. nam dicitur neminem sine iniuria alterius ditari potuisse. Quod si de istis, de quibus vna ista suspicio est, & ob istam solam suspicionem grauissimè laborant, & malè audiunt: Quid existimandum de quibus constat luce meridiana
magis,

magis, idè accepisse quia fecerūt : idè fecisse quia
sperauerunt. Dij. coram hominibus rem istam oc-
cultari non permittunt. Nullus dolus diu latuit : di-
co priuatus latere non potuit diu : Publicus, prius
deprehensus, quàm completus est. mente conce-
ptus, statim vulgo innotescit. Non pauci magnam
faciunt quæstionem. cur in Italia impudicis mulie-
ribus, tanta tribuatur libertas. Res tamen, perpen-
dētibus trutina diligentiori innotuit. Catilinam, pri-
mò huic impudicitix, scelus suum aperuisse : ma-
gnamq; rerum expectationem promississe, quo magis
diligatur. Mulierem prostitutam, machinationem
istius cõiurationis Ciceroni detulisse : & Patriæ auer-
tisse interitum : à probatissimis & multis accepimus
auctoribus. Quæ impudicitiam, quæstumq; turpissi-
mum, vitam inhonestissimam pati consueuerat, lu-
crum ex euersa libertate & patria auersabatur, ita
equidem esse debet. magnum peccatum contra cõ-
scientiam, grauissimum si & contra repub. com-
mittitur. Pudeat aliquando istos, suæ perfidiæ, sce-
leris, prodicionis, parricidii : vel nescio quibus no-
minibus huiusmodi perfidiam nominabo. Palam
est, quod isti, scelerata mente, agitare solent. Res
per orbem diuulgata est, cum nondum limen dome-
sticum, scelus hoc transgressum arbitrantur : Prodit
se mens perfida, & celerrime perspicitur. Pisistra-
tus, pri-

tus, primo à Solonè agnitus, quam rem, scelusque animo conceptum perfecisset. quem, quam primum, mente duntaxat, scelere cogitato, fœdatum videret. Legisti inquit ô Fili Hypocratis Homericum Uliſſem? inuens istis artibus ipsum quoque processisse. vita brevis est: & hæc, re exigua contenta, nemo tam pauper moritur, quam natus est. infamat superfluus victus. frugalitas, omnium commendat vitam: Equidem ob dignitatem cuiusque, quærenda cum ipso amicitia, gratia exoptanda, non propter panem, ut sit hominis à cane differentia. Proditio in quorû gratiam facta; est illis grata: proditores ut Dijs & hominibus: ita & istis odiosi. sciant quid faciunt.

CAP: VII. Amænissima prata vocamus, in quibus variarum herbarum, fragrantia animum, colorum diuersitas, oculos mira afficit voluptate. Vini boni est non mediocris amænitas; alij sunt qui contra fidem, & conscientiam nihil faciunt, quod satis est viro bono, tanquam ex lege seruare: alij qui eo, non contenti, sed ad has naturæ leges, multa & egregia addunt specimina virtutis, quæ nec fides, nec ipsa conscientia extorquet, sed virtus in gradu amplissimo habita, extorsit. Satis bono ciui non deferre rempub. atque commodum ex ea priuatum non quærere, sed ad eius vilitatem, actiones, labores, curasque

curasq; suas, dirigere: Reperiuntur tamen, eminentioris cuiusdã virtutis & gradus: quibus ista omnia, parua sunt, nisi etiam reipubl. in posterum prospiciant. Hi non vita sua, sed æternitate, Patriæ salutem commensurant, laborantes ne post fata sua, respublica bonis ciuibus orbata, intereat. Et hi benè de immortalitate sua cogitant, nam mors non vitæ, sed laborum & ærumnarum finis est: Quisq; in futura vita videbit, quid mali boniue Reipubl. fecerit, sentient aliqui maledictis se affligi, non nulli propter gloriam & salutem Reipublicæ, cui consul erunt, summam percipient voluptatem. Turpem aliquando audiui vocem, & nimis inhumanam. Dum vita ista mihi (inquit) superstes, interest, vt benè cum Republ. geratur: post fata mea, nihil ad me pertinebit. Si interibit, vel si persistet, mortuis nec inde, nec aliunde, obuenire potest voluptas. Dicam: non ciuis, nec ad ciues, nec hominis, nec ad homines vox ista fuit. Quid inhumanius dici potuit & sublata memoria æternitatis: Plantamus hortos, quorum vsui, quis scit? vsui certe. Nuper Petrus Gwiazdouius nonagenarius, innocentissimus & venerabilis senex, cum plantaret in pulchrum ordinem redactas arbores. Quidam illi: nō gustaturum fructus: Respondit. quid refert si posteritas: rursus illi: at tu non videbis istam posteritatis voluptatem? imo inquit melius

cum senectutis deposuero impedimenta. Et Iacobus Turoboyscius, cum aui sui ostendisset mihi inscriptionem sepulchri, grauissimam. Quid & ille optaret, quæ sui Reipublicæ æternitatem inquit. ne vnquam finem gloriæ & libertatis habeat. Tale melioribus ciuibus optatū, Reipublicæ esse debet. Vita vel potius ærumnæ nostræ breues sunt, atq; vtinā sint, Reipubl. salus æterna exoptanda, vt nunquam finem habituræ. Sed res difficilis vel impossibilis est, æternitatem humanis rebus indicere, facere non humanum est, velle vti diximus virtus est, posse Fortunæ, cessat fortuna post mortem, virtus manet, & manet æternum. Quomodo igitur manebit? Duo sunt modi, quibus æternitas reipublicæ cuiuslibet comparari potest. Alter consistit in persuadendis & constituendis legibus bonis, apprimè conseruandæ saluti publicæ conducentibus. Alter in ostendendo magni animi indole, cum spe sapientiæ prudentiæq; non mediocri, quæ Reipublicæ profutura sunt. Siue in corrigendis legibus, libertati inseruientibus, in tuenda manuq; tenenda libertate, ne eripiat, hoc securius sed non adeo firmum; aliud, quod non vsquaq; securum sed firmiter est. Legibus expedit defendendam esse rempubl. leges verò animorum constantia sustinendæ. nam sine hac grauitate nihil firmum manebit. Minus refert si non habes, si habes,

habēs, & deseris, seruus es. Quo in officio laudo Ra-
dziuilos, ciues in repub. nostra, humanas laudes su-
perantes: qui dum diuexarentur sua de proprietate,
vt causam obtineant, à republica non recesserunt.
Quasi non expediret reipubl. ditare suos ciues ne
animus maleuolus si accesserit, expugnandi rempub.
facultates habeat. Non audiendus, qui à lege rece-
dendi auctor sit, sacrosanctè leges custodiendæ: ma-
gna in eo lateret perfidia & animus corruptus, qui
violandas leges, ad libertatem publicam perinen-
tes, re etiam in exigua censeret, nam paruis ex rebus
magna excrescunt. Quid Romæ magis necessarium
iustiusq; videbatur? quã viris magnis, ijsq; in quorũ
fortuna & virtute, spem suam vniuersa reponebat Re-
spub. prorogare imperia? Ista tamẽ res euertit Roma-
nos, nã quod semel erat factum: iterũ posse fieri nul-
lius ingenij homines iudicabant, qui valebant inge-
nio, hoc allaturum Reipub. interitum dicebant. Itaq;
cum Pompeio prorogaretur, Cæsar quoq; sibi pro-
rogandum petijt: contradicente Senatu periculo
deprehenso. At inquit Cæsar, iste (percutiendogla-
dium) prorogabit. A libertate recedit qui à legibus.
Errat, corruptus est, & cæteros errare & corrumpere
vult, qui legem libertatem complectentem non ser-
uandam dicit. Nos tamen conuertamus, quibus &
quomodo sustinetur respublica legibus. Parere in
primis

primis, omnes asuescant, & sint legibus adstrictis
Quid de Superioribus? Principibusque? maior isti.
obtemperandi indicenda necessitas. nam hic vigi-
lantior custodia apponi consuevit, vnde maius im-
minet periculum. Obtemperare Principes, oportet
legibus, quia nemo benè imperauit, qui parere ne-
scit: ignorat quid imperandum & in quo obtempe-
rantia consistat. ne aut imperet, quod seruile est, aut
non faciat, ad quos legibus tenetur. vtriq; igitur ad
obedientiam adducendi: Subditi, qui parere iuxta
suas leges nati: Principes, ne sint indomitarum be-
stiarum instar, & intractabilis ferri. Magna tunc re-
rum & elegans mistura cum parebunt, vtrinq; cum
quadam moderatione, & suauissimo concentu. Sæ-
pe Zamoscium commemoramus. Quid mirum?
cum vnus plus fecit, quam fecissent plures. hic vir
æterna dignus memoria, labefactas res reipublicæ
restituit integras. Et quidem semper & magna cum
industria, examinandæ, & redintegrandæ sunt, pro-
pter nescio quam religionem, quæ priuilegia in fa-
uorem libertatis facta non esse seruanda, impiè per-
suadere nititur, quæ res iam est palam, olim sub Ste-
phano Rege Nicolao Radziuilo Cancellario repu-
gnante: Iustachio Wolouicio Vicecancellario in-
uito, vis ista inchoata. Hęc scaturigo est seditionum
modernarum: quam & Deus ipse impietatem periur-
riorum

riorum persequitur: Dubitabamus olim placeat ne hoc Deo nunc displicere videmus. vt hanc propter impietatem, Filij sui hæreditatem affligi permiserit. Multa dico Zamoscus, post mortem Stephani Regis, in integrum restituit: & sanè sapientissime, quia ista allatura erant magnum reipub. detrimentum. Quid faciendum modo? cum vix reliquum funditus non euersum. Quid inquam faciendum? falsis rerum censoribus tot multiplicatis. **non dico** quales isti, ne immittam falcem in alienam messem: & quod in alijs mihi displicet, in me reperiatur. Si ad alterum accessero modum, non obuius est, nobis præsertim, quibus cum satis fuerit amoris in rempub. ingenij minus esse videtur, in obuiando temporibus, quæ pericula varia secum adferre consueuerunt. Antiqui hæc maximè via clarissimas fecerunt suas respublicas. non sibi priuatim, sed publicæ patriæ consulentes: nec quidquam magis in animo habebant, quam sempiternam reddere rempub. Romani, in conquirenda magnæ spei iuuentute sagacissimi, virtutisq; inuestigatores solertissimi per villas etiam, & municipia. Legimus, à Metello C. Marium Romam adductum, Patribus Senatui commendatum, quod magnæ spei esset futurus. Et vero ita fuit, nam si Marium non adduxisset Metellus, Romani aduersus Cimbro, tam strenuum, prudentemq; non habuissent

imperatorē. Catonem Fabius adduxit, quē vtilē reipublicæ fore existinauit, nec quidem spe sua frustratus est. Scipionis Africani Filius Pauli Æmiliij adduxit Filium, virum talem qualem & tempora reipublicæ desideratura erant: & necessitas ipsa operiebatur: is postea ob euersam Carthaginem & Numantiam: minor Africanus appellabatur. Lacedæmonijs, inspiciendi certa corporum lineamenta lex fuit, vt ijs indicijs virtutis, vterentur: diligentiusq; educarentur, illi, qui ad virtutem magis nati esse videbantur. Venetis eadem penè via est propagandæ libertatis & reipubl. qui in iuuentutis virtute indaganda circumspiciunt, exercentes in ijs virtutem ad quam quisq; natus est, quæ res, huic laudatissimæ reipubl. plurimum affert momēti ornamentiq;. Et locus & exercitatio virtuti accomodanda, ne aut locus virtutē imminuat, aut desidia oriūq; opprimat: Quod & in plantis perspicuum fit, quas non permittunt diffluere diligētes Hortulani. Apud nos & maximè culpandum, quod magna ingenia deserantur, neq; inquirantur, quæ non sunt vulgaria, quo magis publicæ gloriæ cōsuleretur: quæ præcipuè nec alia est causa, vt nondum eo in gradu gloriæ, in quo omnes gentes fuerunt, extiterimus. admodum paucos ingeniorum & amatores, & Mecænes habentes. Tarnouius primo multorum virtutes il-

tes illustravit : viros ingeniosos reipublicæ commē-
dando , adductis illis , quorum prudentia huc usq;
respublica claret , & sustinetur. Non potuit vir glo-
riosissimus magis mereri , de repub. nam ad nostra
tempora, tanquam eius beneficio, reipub. gloria pro-
pagatur. Vnde hoc illi ab eminentissimo gradu
virtutis & sapientiæ, sapientissimū enim fuisse mul-
ti exteri, memoriæ tradiderunt, qui eius opera in bel-
lis vti sunt. Cuius virtutem & sapientiam, quāquam
multæ comprobant victoriæ : præcipue tamen ex Pe-
tro Walachiæ Palatino reportata, cuius magnitudi-
ne & apparatu horribili, cum Polonicus conturba-
retur exercitus : maximè verò Cometa tunc emer-
gens mali aliquid, portendere credebatur. Sapien-
tissima oratione, illam diluit suspicionem, dicens:
Non vos viri fortissimi rerum difficultas commoue-
at : quia viro forti terribile nihil esse debet. Non hu-
ius cometæ insolitus splendor perturbet, magnæ vi-
ctoriæ hoc inditium est : ita enim à peritissimis ea-
rum rerum vulgatum est. Perpendite vestrum nu-
merum hostilem que : agnosceatis exiguum nostrum,
numerossimum hostilem. Quod si res magnas co-
metæ prædicere solent, magnam nobis iste porten-
dit victoriam : nam si magna victoria est, quæ exigua
manu militum, magnum numerum hostilium copia-
rum evertit. profecto magnam in manibus habemus

vicloriam : dum enim pauci sumus admirabilem ex
hostibus : nullam ex nobis illi reportauissent victo-
riam, nam magnum ideo, quia admirabile dicitur.
Magis quam classico, vox imperatoris sapientissimi
commouit paruam, aduersus vim maximam hosti-
um, manum. vicerunt, & egregiè vicerunt, sæculis
memorabili victoria : Hic vir magnus quia perspe-
ctum habebat, qua in re salus consistat publica, non
suos, sed sibi similes sapientia & magnitudine ani-
mi, ad rempub. adducere studuit. Auus Tuus dein-
ceps Florianus Zebrzydouijs, virtute hac insignis
& reipub. studiosissimus, Stanislaum Lesniouolsci-
um, in conspectum adduxit reipublicæ : ab se, iuxta
aptitudinem suæ virtutis instructissimum, qui eius-
dem Aui Tui præceptis, periculosè tum decumben-
tis magnam vim Moschorum superauit : & satis cõ-
probauit, Auum Tuum, non tantum præsentium
temporum custodem, sed & futurorum esse contẽ-
platorem. Erat enim ille Lesniouolscius, admodum
sequentibus temporibus opportunus. Qua de re
cum ab Hosio Cardinali viro sanctissimo ciuilitè,
sed circumspectè moneretur idem Auus tuus, ne su-
os negligeret : respondit, meos amo priuatim, hunc
publicè, cuius & ætas & prudentia, vtiliorem reipub.
facere possunt. Zamoscius postea, Fatis miseram fa-
ciem reipubl. iuuantibus affuit : affuit Senator am-
plissi-

plissimus, adfuit qui nisi adfuisset, nullam rempub.
habuissēmus. Hic vir amplissimus, vix non nostra
memoria quæ fecit, quos viros clarissimos ad remp.
adduxerat: quis ignorat, præ cæteris Ioachimum
Ociescium, qui omnium existimatione, Regali ma-
iestate dignus fuisse, est iudicatus. Quanquam Za-
moscius summis dignus laudibus, hinc tamen vel
maximè meretur laudem, quia nec suæ domui, nec
sui sanguinis studuit gloriæ & amplitudini, publicam
duntaxat præ oculis habens, sine qua nemo ciuium
clarus est. Amor sanguinis non paucos defraudauit,
quem cum arrogantius amarent, publicum deserue-
runt bonum. Nemo credat nasci generosum sangui-
nem: ineptiæ sunt istæ, & mera insania: non à nata-
libus magnitudo animi acquiritur, verum aut à stu-
dijs: aut à natura. Dion à studijs magnum acquisi-
uerat animum, Cato à natura, à parentibus corpus,
quamquam & Cato à Stoica Philosophia non nihil
sumpsit: nam puer adhuc, antequam attigisset
Philosophiam, cum Ciuium Romanorum capita do-
mo Syllæ efferi cerneret: & quid sit rei sciscitatus,
didicisset. Cur mihi inquit non datis gladium, vt
Tyrannum ex insidijs interficiam, & isto onere Pa-
triam liberem? Dicam ad conciuēs meos, dicam
cum lacrymis, quis se sustinebit à fletu, recordemi-
ni, recordemini Pisarum, Florentiæ, quarum fami-

liæ, circa suis sanguinis fastum perniciosum, promo-
uendum defatigatæ, conciderunt & in turpem con-
cesserunt seruitutem.

CAP: VIII. Laudabilis apud Venetos consue-
tudo est, remunerandi pericula: quæ quisq; pro ipso-
rum pertulit Republica. magna illis conferunt be-
neficia, magnos per vitæ suæ concedentes prouen-
tus: Sed hac illorū liberalitate nemo diu est vsus. Aut
magnitudine beneficij, tanquam onere intollerabi-
li oppressus, aut certè pestilentia aliqua inest eorum
pecuniæ. Gloria contentum esse, satius est: exitio-
sa est semper pecunia. Et cum boni ciues, sine spe
mercedis, facere omnia, quibus respubl. opus ha-
bet teneantur, quod vltimum est vix sunt, qui gratis
fecerunt vel volunt facere. Optimus ille ciuis, qui
& consilia publica nunquam intermisit, nec se à pe-
riculis subtraxit, nec ex repub. commodum quæsi-
uit, nec ingenia, rebus publicis opportuna, negle-
xit. Deniq; publicam salutem capitis sui periculo
sustiauit. Multi sunt cordati extra periculum, non
desunt qui se in periculum conijciant industria, ita
enim fit, vt pisces non nisi in turbida aqua capiantur.
O impietatem, & rem malam & iniquissimis medijs
acquirere, passim hoc scelus, vel parricidium assu-
mit vires. vel potius virus in dies magisq; his deplora-
tis temporibus: Olim per mulieres introductum,
quæ

quæ & res alienas, & alienis pro rebus emendas,
magno publico damno venum exponebant, vt nihili
rem sibi priuatim necessariam emant. Quas mulie-
res Andreas Critius, non vulgaris Pœta & Archiepi-
scopus Gnesneñ. Senaturn aulicum appellauit, ac
primo quoque tempore prohibendum censuit, in
Dialogo de Diæta Asiana conscripto. Sed pestem
istam missam faciamus, fulmine percutiendam: tra-
ditum enim est, fulmine àërem pestilentem expur-
gari, contagiumq; vniuersale, consueuisse auferri:
prôch dolor quia respub. cum fulmine pinguntur
tantum: quod si habuisset etiam: nō vagaretur pestis
ista. Accedamus ad viros fortes, & ciues optimos,
qui mites sunt rebus in tranquillis, feroces in peri-
culosis: Sic enim & de leonibus traditur, qui effusè
fugiunt, audito canum latratu, at si conspiciuntur
à canibus se sistunt, lente tanquam bestiolas illas
contemnentes progrediuntur. Ille cordatus est, qui
in periculis non modo non demisit, sed erexit ani-
mum: atq; vltimum reipub. offerre sanguinem, mo-
do prosit, est paratus. Ad quod aliqui sunt obligati
aliqui liberalitate mera in Patriam, id faciunt. Idcir-
co admiratus sum, acumen ingenij & promptitudi-
nem in respondendo Benedicti Chrzaſtouiij, quo
cum familiariter colloquutus. quæsiui. Quid sit cau-
sa? Cum satis sit prudentiæ in hac domo, iudiciq;
non

non vulgaris, & vere excellentissimi: nihilominus,
quo maiorem occasionem inferuendi Patriæ habe-
ant, magistratum amplitudinem missam faciant.
Ad quod ille: Malumus inquit minus obligari, plus
facere quam teneamur. Et vero satisfaciunt Patriæ
liberaliter. Quæ est Familia alter furculus fructifer val-
de prodijt Lanckoroniorum, & tanquam in duas
colonias ista Familia deducta est. Cuius fructu amif-
so Palatino Podolia vix maturo, nondū penitus, Re-
spub. à lachrymis respirauit, cum magna ingenia aut
nō diuturna, aut rara esse soleant. Sed ad eos qui ma-
gis hoc officio tenentur, conuertamus nos. Quo su-
periori in loco quisquam est: eo magis ista neces-
sitate tenetur, mori scilicet pro omnibus. Ratio huius
in promptu nam pericula à superiorum culpa erro-
reque; promanant, vt in sessione quadam (quam non
appello) cum decreta esset reformatio, quæretur
deinceps vnde incipienda? omnibus planè à Mini-
mis; respondentibus: noster Hofius contra: quo-
modo à Minimis? cum magis quam ex lege constet
à superioribus captam esse iniquitatem, obmutue-
runt omnes. Aliqui enim negligentia, aut temeri-
tate sua, inducunt rempub. in discrimen: Aliqui,
quia ab hostibus contemnuntur, propter male de se
conceptam opinionem: videlicet si eos sine animo,
& virtute rerum gerendarum esse, hostes compertum
habe an

habeant. Et profecto quidquid rebus publicis mali boniue euenit: ista à superioribus promanant. Infortunium Leuiniij, auxit res Pyrrhi, affixit Romanorum. Deinceps Romani Senatus admirabilis grauitas, excusit Pyrrho animum, cum illi Cyneas retulisset: Bestiam hanc multorum capitum vinci possibile non esse. Itaq; à superioribus primò, & contemptus, & metus rerum pub. sumpserunt vim suam. Contemptus, si lepus duxerit leones: metus si leo lepores, magis si leo leones. Et maximè ad Principes id pertinere videtur, postea ad reliquos, iuxta cuiusuis eorum auctoritatem: Neq; enim Principes ad sanguinem aluntur, quorum in gratiam tot fiunt impensæ, honor, obseruantia, vt dici nequeat. Quod si nulla fuissent pericula: merito irrideretur genus humanum. Principes in primis, cum discrimine sui capitis, periculis publicis obuiare tenentur. Traianus Imperator, cum vna die, cladium diuersarum nuncios accepisset: inquit. quam infelix sum, qui ijs qui coronam mihi, ego calamitates attulerim. Et Stephanus Rex noster, Moscouiticas copias planè infinitas cernens, reputans secum suum officium, quia omnes suos ciues conseruare teneretur, cum sit gloriosius vnum suorum conseruare, quam decem hostes perdere: misit ad Magnum Ducem, vt præter subditorum discrimen, de summa rei secum ex-

L

peria-

periatur. Non audebat Moscus, imparitatem cau-
satus, quod non fuerit Regi sanguinis. Ad quod
Rex noster. Itaq; ego clarior sum, quem virtus, non
venter mulieris fecit Regem. Discant Principes ab
isto gloriosissimo Rege, quid Reipublicæ & quan-
tum virtuti tribuere debeant. Lacedæmonio-
rum Agesilao Regi imputata, & apud nos sæpe di-
uersis Regibus, aduersa reipublicæ fortuna expro-
brata fuit. Codrus Lydorum Rex, perspecto habi-
to, Fato sibi moriendi necessitatẽm impositam, vt
Patria maneat: & honestatem Regiam, & vitam pro
Patria deponere non dubitauit. Macedones viden-
tes se affligi à Pyrrho, ob Demetrii Regis sui mulie-
rositatẽ ab eo recedentes, meliorem sub Pyrrho sibi
fortunam comparauerunt: Nam malus Princeps
sors calamitatum. Et nemo est, qui superioribus, fa-
ciem reipub. qualiscunq; fuerit, non adscriberet.
Tempore isto, eius rei diligentissima habetur ratio,
ab omnibus passim gentibus, videntes, quanto Prin-
cipum mollis vita rebus publicis incommodo fuit.
& cum olim secus, nunc à periculis non debere esse
amotos cognouerunt. loca periculosiora illis habi-
tanda assignantes. Quod horum commodum est?
Quia multi Principum, sequuntur voluptates, Tra-
gicos, Musicos, & huius generis homines nequam
fouentes. maximam partem publicorum prouentu-
um, pro

um, pro istis expendunt ineptijs. Memini cum Pictor Regius ad Paulum Marchocium venisset. daturus rationes, quod ad contributiones publicas non obligaretur, quæ cum quærentur: Dixit se esse seruum Regis, cui vnus adstantium, qui stipendium accepturus venerat: At me hoc non iuuat, quamuis & Cuius fuerim? Pictor inquit. Plures sunt huius generis cuius tu, cuius ego vnus sum. Stomachatus ille. Abi inquit hinc, quia sine tuis imposturis Rex esse potest. sine copia mihi similia, nequaquam: adeo isti nebulones Principes dementant. Alij delectantur immodicè venationibus, qui magistros canum, summos viros esse existimant, canes vltra homines, nec tanti æstimant hominem, quanti mediocris sagacitatis canem quid iniustius? Approbant aliqui hoc. Quare? quia venationis partem militiæ esse isti volunt: Recordor, cum die quadam, præteriens Domum maiorem Academiæ Cracouiensis, disputari audiuissem, ingressus sum & fini aderam, elegantissime enim in vtramq; partem disputabatur. Adferat ne aliquid momenti venatio militiæ? Alter affirmabat, negabat alter. hic exorsus. Dixit, culpando suum collateralem, quod venationes æquauisset militiæ. Dixit Michael Zebrzydovius Filius Tuus is fuit. Putasne inquit hostes esse idem quod lepores? aut credis lepores hostes tuos? si ita,

& tu lepus est, si credis hostes, tantum valere quantum lepores, verearis, vt si non homines, experiaris leones. multi fuerunt, & sunt, quos ambitio fefellit. Magnam inde cœpi voluptatem: maiorem expecto, & respublica expectat, à tanti iudicij indole, futuris temporibus. Quid plura de alijs loquar, ego tantum scire non possum, quantum sciant cæteri, qui rerum maiorem noticiam consequuti sunt. Non sit solum Hispanum venari Regna, cæterorum Regum lepores: vt Scribanius contumeliose scripsit: Sit cæteris Regibus cordi gloria sit virtus, ne sint ludibrio & illis, quorum reprehendere ista, extra officium est. Multæ sunt voluptates Principum, sed rarissimæ virtutis, iusticiæ, bellorumq; Qui se in his exercet, qui has tantum sequutus fuerit, is tantum verus Princeps habendus: ficti sunt qui ab hoc Principum officio recesserunt. Nullum periculum est bella leporibus indicere, nulla publica vtilitas, Tragicorum, Pictorum, Musicorum, vnguentariorum cateruas alere fouereq;. Quocirca vt Reges ab his illecebris auocentur, & si non publicæ gloriæ, suæ salutis ad minus consulant: sedes Regiæ ex locis securioribus, ad periculosiores translatae sunt, vt doceantur Principes, vsum Regalis authoritatis conuenientem, vbi præter militem eumq; bonum, & virum eruditissimum, alter non sit habiturus locum. Rex quidem Abissinorum
nostro

nostro pene tempore, cum vidisset se malè habere, tribus de causis, quia religionem strictius custodiuisset: quia hæreditarium Regnum habuisset, quia in loco securo habitauisset, omnia in ordinem redegit, valde cõuenientem. Excusauit se Romano Pontifici ab obseruantia stricta religionis, ne sit impotens. Fecit electiuum Regnum, ne hæredes multerosi regnarent, sed quicumq; præstaret is Rex esset. Transtulit è medulio sedem suam Fessam versus, quo loco quotidiana imminent à Turcis Mauriq; immanissimis hostibus pericula, ne Reges voluptatibus, sed rei militaris sint studiosiores. Multa sunt commoda in huiusmodi locis habitare Reges. quia animum eorum in Officio retinent: ciuitates muniti faciunt, militibus loca replent, terrorem hostibus incutiunt, terram illam ditant, quæ res ad potentiam, contra vicinos hostes, plurimum adferet momenti, cauebit sibi, qui publicam neglexisset, in securo loco, salutem. Deseret Rex ineptias, militem amplectetur, sine quo salus eius defensa esse non poterit. Non quomodo pingat parietes, sed quomodo munit suam habitationem noctes diesq; cogitabit. Non vnde musici & saltatores adducendi, sed vnde milites meditabitur. Fessæ Reges, quos Magnos Seriphos vocamus, peruersos religiosos Sarcenorum, & iuuentutis institutores, loci periculo

exercitati, potentissimi euasere Reges, & nunc Al-
ge iam sedem suam transtulerunt, quo magis aut
vim hostium sustinendi, aut hostes irritandi semper
occasiones habeant. Exercitium quemquam obfir-
mat, cursores agiles sunt, agricolæ robusti, milites
audaces. Turci sedem imperij sui Constantinopoli
constituerunt, quia vrbs ista periculosior, Christia-
norum diuexationi exposita, amænior Damascus,
Tyus & cæteræ Asiaticæ amplissimæ vrbes, tamen
quia à periculis remotissimæ, magnis Turcis prohi-
bitæ sunt vt animum exercendi, occasiones habeât.
Nuper Osmanus, qui vim illam infinitam Barbaro-
rum, secum in Valachiam adduxerat, euersurus, vt
putabat ille Rempublicam Polonorum: infectis re-
bus, magna suorum strage cum esset reuersus, causa-
tus ignauiam militia: constituerat sedem transferre
Damascum, maiores & expeditiores copias, ad co-
gitatum bellum comparaturus. Non tulerunt lani-
zari rei periculum, sentientes Turciam vniuersam
Christianorum diuexationi relinqui, asportato flore
militiæ, & robore, quod cum Imperatore migratu-
rum credebatur: inuadunt nullo ante exemplo, &
interficiunt eundem, vt mortuus sepeliatur, qui vi-
uus noluit manere Constantinopoli. Sed quis du-
bitat? Reges fieri propter pericula? quis adeo in-
sanus? vt Reges pro subditis, ad mortem oppetien-
dam non

dam non obligari crediderit. Non grex propter Pastorem, Pastor propter gregem constituitur. Minus isto officio Senatus grauari videtur. nam tantum ut priuati pro Patria mori tenentur: atq; auertere pericula si aliqua pepererunt: nec tantum, in Senatum quantum in Reges beneficiorum publicorum scribium, redundat ista necessitas.

CAP: IX. Ad priuatos descendamus, qui à natura tantum obligati, nequaquam beneficijs respondere tenentur, quæ nisi communia omnibus acceperunt. securitatem videlicet opum consequendorum & vitæ, nam ista, omnibus in republica viuentibus communia sunt, cætera beneficia singulariter, aliquibus conferuntur, ut frugiferæ vilæ, ciuitates populosæ, magistratus amplissimi, propter quæ magis reipublicæ necessitatibus, nonnulli respondere tenentur, quæ res adeo manifesta est, ut sit nemo qui rem inficiaretur, nisi homo stultissimus, vanus, & è commertio generis humani quam primùm exterminandus. Huc usq; enim inscitia, & impietas in Deum, & in Patriam processit humana, ut se scelerato & impuro ore nihil Patriæ debere confiteantur. neq; sibi ut puero, aliquid publica auctoritate imperari posse & existimant, & palam dicunt. Quæ impietas, quæ iniquitas ô Deus bone si vitam, si corpus tantum accepisset. multum debuisset Pa-

trix, nec onus quantumuis maximum, sibi imposi-
tum detrectare potuisset: quid si multa bona in hac
acquisiuit Republica? Quid dicam si multis benefi-
cijs publicis ornatus est? Et quidem si in dignum
ista beneficia collata fuissent, officiosum videretur,
si in indignum liberale, ingentem iste suam prodi-
disset indignitatem, qui non se duntaxat ingratum
in benefactricem suam, sed impium in societatem
humani generis præbuerit. Quis pro isto perfido ci-
ue faciet quicquam, qui pro se nihil facere sustinu-
it? Sinoni Græculo homini indictæ artes circumue-
niendi Troianos, nulla spe mercedis certa proposi-
ta, nam morte certius fuit nihil. Quid ille? non con-
ctatur; abscidit sibi nasum auresque, simulat, illatæ
iniuriæ sibi vim, quæ gloriæ futuræ erant monumē-
ta. Abscidit sibi aures, vt Patriam melius audire fa-
ciat, se dehonestauit, quo Græciam honestiorem
reddat: Intrauit urbem, decepit Troianos, prodit Illi-
um, euertit illud opulentissimum Asiæ Regnum. Pau-
lus Æmilius Romanus, Tymoleon Corinthius, hic
Syracusanis contra Tyrannos, ille contra Perseum
socijs grauem, auxilio missus: senex uterq; & priua-
tus, ac quieti deditus, annis non se excusauit, quam-
uis senectuti eorum maius onus apponeretur, sed
Diuinis tanquam mandatis obtemperarunt. Forte
tamen onus hoc, vltro ab illis receptum, cogi tamen
si no-

Iuissent non poterant. Et verò vterq; agrè recepit, alter enim pertractus, alter coactus est Plutarcho auctore, iam enim legibus quibus ad militiam tenebatur functi fuerūt. à qua excipiebatur nemo: Etenim tam Græcorum quam Romanorum omnes, legibus ad militiam erant obstricti, nec diues, nec pauper ab hac lege fuit solutus: Dato ad eam rēpublicè equo, si qui indignissent, quæ res apud Scriptores satis plana est. Nam & Pompeius cum censeretur, interrogatus, fecisset ne satis legibus, in militando pro Patria? Satis inquit, & prius & diutius quam legibus indictum sit, idq; me ipso Imperatore. Idem de alijs quam plurimis proditum. Et verò si necessitas postulabat, & illi qui officio militandi legibus imposito functi fuerunt aduocabantur, & plebiscitis, satisfacere cogebantur, rarissime quidem aliqui iuuenū non paruerunt, sed horum alij virgis caesi aliorum bona sub hastam missa sunt. Inde processit lex illa, quæ trium liberorum dicitur: vt qui Trium liberorum pater esset, militiæ verò tempus, legibus indictum expediuisset, ab excubijs castrensibus fuisset liber, nec ad aliud vltra pugnam obligaretur. In liberrima Republ. adeo vsq; obligabantur ciues, cur apud nos obligari non debent? vel cur non possunt? Leges fortè hoc non præcipiunt? Atqui vnumquemq; suæ Reipubl. esse seruum, lex est naturæ.

M

Serui,

Serui, Tyrannis seruiunt seruiliter. ciues liberè reipublicæ, quia necessitatem seruiendi, vnusquisq; sibi & alijs imposuit, & quod ille pro alijs fecit, alij pro eodem facient. Aut, si cæterorum opera vitur, ipsius opera nullus, in crucem est agendus, ne ille Fucus aliena mella absorbeat: Est genus quoddam apis, ita vocatum, cum apibus simul viuens, & iisdem in aluearibus habitans, eodem melle vescens, sed quia labores subterfuit, neq; aluearia communia defendit, apibus odiosum est adeò, vt deprehensum suffocari faciant, cera vndiq; circumseptum, vt tradiderunt illi, qui de naturæ rebus occultis scripserunt. quod & de Formicis proditum est, quæ Democraticam & admirabilem constituunt Rempub. Natura sola Duce, istæ bestiolæ, docuerunt nos, subuenire necessitatibus publicis, esse legem naturæ. Et quod maius est, cum suæ communitati, periculum aliquod vident, vel suspicantur imminere, non expectatis auxilijs, sociabusq; quo minus periclitarentur, se alacriter proripiunt, inuasorem aggrediuntur, sibiq; à natura concessis impetunt telis: & quod pro priuata iniuria facere non solent, publici pro periculi suspitione acerrime. Adeo mali ciues corrum-punt bonos, vt vix reperire sit qui periculo sui capitis, difficultates publicas auertere velit. Et si sunt nonnulli fueruntque, pro optimis habeantur, nam
quod

quod legis fuit naturalis olim, nunc præter legem id se facere existimant. ac sane optimi sunt ciues, quia à malis non corrupti, quæ magna laus est: Maiorq; illa, si aliqui mediis ex periculis euaserunt, quia nulla pericula sunt quotidiana, sed per interualla redeunt, maiores interdum, minores aliquando vires suas effundendo: Cum malis ciuibus semper habitatur, qui leges naturales peruersas esse volunt. ciuesq; reipublicæ necessarios quotidie corrumpunt: qui bonus permanerit, optimus est: Tanquam miles ille fortissimus qui mille in periculis, & iisdem grauissimis non perit, & quo loco fuerit tolerare ista exempla malorum ciuium, quis non videt? Nam qui non obtemperauit reipublicæ, vel mandata transgressus fuerit, hostis iste est, cum eo vt cum hoste procedendum. Recipiunt enim aliqui publica mandata vt ciues, vt hostes decipiunt, nec ad effectum bonumq; finem deducunt, & tantis inficiunt periculis, quantis hostes aperte venientes non inficerent. Quid deest ad huiusmodi ciues sceleratos vltimo afficiendos supplicio? Non leges? quia illæ naturales sunt atq; Respub. pro sua necessitate eas cõdendi habet facultatem. Non genus mortis? quia exitus vnus omnium est. Quid igitur? Animus; animus inquam cordatus, animus excelsus propter libertatis & reipublicæ amorem. Igitur Scæuola fuit

bonus ciuis, vel optimum nominabo: non ad illa
sed ad nostra illum comparando tempora: qui capi-
tis sui periculo, Patriam suam liberare non dubita-
uit: & cum manus errauisset, quæ animus decreue-
rat, flammis vidente hoste vindicandam esse censu-
it, & quod Scæuola sensu, ob amorem Patriæ susti-
nuit: hostis verecundia virtutis tantæ, sustinere non
potuit, pepercit illi qui sibi parcere noluit. Dixi au-
tem ad nostra comparando tempora, quia illis tem-
poribus vniuersi ciues id pro lege naturali habebant:
neq; enim vnus Scæuola capitis sui periculo, illud
onus susceperat, sed octingenti in hunc finem con-
iurauerant. cuius periculi magnitudine, perterrefa-
ctus Porfena, cessit virtuti qui copiarum robore su-
perior fuit. vnus tantum qui vstularet manum, erat.
plures qui in caput Porfena coniurauerant. Curtius
illam in voraginem pestilentem se præcipitem de-
dit, vnus fuit, quia vnus sufficiebat, si plures Fata re-
quisiuisissent, plures adfuissent: lege tamen oraculi
vnum absorptum sufficere, palam fuit. Multi per di-
uersas, respublicas fuerunt, sed nostro tempore non
intermittenda mihi, N. Pilchouij memoria viri Pa-
triæ amantissimi, is nuper in Prussia cum fato nescio,
quo in manus hostium deuenisset. finem bello huic
quod protrahebatur imponere constituerat, nam se
ad belli huius caput perducendum existimauit: Ad-
ductus

ductus ille ad alterum non dissimilem lineamentis
faciei vt ex narratis acceperat, ipsi belli capiti: & hoc
belli caput esse. quo sublato, belli finem impositu-
rum se credebat. Sed animus in nostra est potestate
& voluntas, in euentus rerum fortuna multum sibi
iuris arrogat, fortuna obstitit, quo minus an mi sui
compos fieret. Et illi viginti septem coniurati. in
Iulium Casarem optimi ciues iudicandi sunt, quia
illud periculum contra orbis terrarum terrorem in-
trepide subiuerunt, quod multi subire non audebāt:
alii non habebant, occasionis opportunitatem: ma-
gnum enim fuit, in eum extulisse manum, pro quo
ipsa fortuna decertare videbatur. vicit tamen terro-
rem, fortitudo: Fortunam pietas Patriæ, Tyran-
nidem libertas, impietatem virtus vicit. Interem-
ptus inuasor, superatus, sceleratus Paricida. At illi
perierunt omnes: quid mirum eos periisse? qui si
rem non perfecissent optatam, perituros se cre-
debant: re perfecta. num illis perire graue fuit?
Nefas erat versari Sanctos ciues inter sceleratos,
inter adulatōres impios. Satis illi fecerunt suo offi-
cio, satis libertati, satis ciuibus, satis reipubl. Su-
am incusent ignauiam, metum, cupiditatem, qui re-
cuperatam non retinuerunt libertatem. suos libe-
ratores alteri Tyranno persequendos relinquentes.
Dudum hoc certum est, quia aliquid tyranici animo

agitant, aspernari viros fortes, propter audaciam : sapientes propter amorem libertatis, viros iustos, propter eam, quam in ipsis ponunt ciues spem, & expectationem. Nec fuit mirum, quod Brutus palam inuocabatur, schedulis subiectis : Aut tu Brute, Brutus non es ? Erat enim in ista Familia, singularis fortitudo publicis in casibus, quam M. Brutus in exturbando Tarquinio, vberime cōprobauerat. Erat iustitia admirabilis : nam filios suos, cōiurationis Vitellianæ & Aquilinæ conscios, de reducendo Tarquinio, suis in oculis interimendos, carnifici tradiderat. Qui si talis in filios ? qualis in cæteros futurus esset ? Pudeat eos si sunt, qui vt prosint liberis, aut produnt, aut venum exponunt Rempublicam : nam si habebunt filios se meliores. quomodo patrem suum dignū carnifice non existimabunt ? quomodo ipsos non pudebit, natos ex hac impietate ? Vel si malos filios malis è parentibus nasci contigerit : Quid malus pater ? si non interitum improbis filijs comparauit ? Boni à Brutis semper procreabātur filij : nam primus vt exturbauerat Tyrannidem, ita vltimus sustulerat Tyrannum, & restituerat amissam, quam constituerat eiecto Tarquinio, primus Brutus libertatem : ô Brute si aut non nascereris, nisi nostro seculo, aut ad nostra tempora genus tuum propagatum esset. quàm multos & egregios Duces, diuersæ nationes haberēt

contra

contra Tyrannos. Quid deest nostris temporibus? Animus? adest; Legimus apud externos scriptores, Wisnouecium nostrum in equuleo biduo pendentē, cum fortē Tyrannus & Imperator crudelitatis, admiratione tantarum virium aduenisset: Et num aliquid roboris ipsi reliquum esset, quæsuisset. nescio inquit, neque præ lassitudine dignoscere possum: Detur, inquit, mihi arcus ut experiar: porrectus illi, ad vires probandas. sufficiebant, ad Tyrannum interficiendum. nam parum abfuerat quin interficeretur. Hoc tamen in adulto animo. Adest aliud exemplum illis in adolescentulis, pulchris quidem corpore, sed animo longè pulchrioribus, factum è Polonia per mangonos, nefarios, asportatis: quibus re patefacta Constantinopolim adductis, ut libidini Tyranni seruirent, ad vnum, omnes in necem Tyranni coniurauerunt, ne indignum aliquid & seruire paterentur. Proditum à Græculo homine quodam, mortem sibi accelerarunt, mutuo se conficientes, ne carnificis manu non libere vitam deposuisse viderentur, adest igitur animi satis, nostræ nationi. Quid desideraret? Ducem tuendæ libertatis, cum illa auxilium ferri sibi implorauerit. Quam plurimæ nationes, à nefarijs Tyrannis oppressæ, Dionem non habent, qui Patriam liberaturus accessisset. Non ob-
tigit hoc Patriæ nostræ carissimæ, nec Di, nec ho-

mines patientur, seruitutem à nobis perferri, omnia
habet nostra Respub. cum habet animum, ad tollen-
dos Tyrannos, nulla coniuratione vnquam opus fu-
it, & quidem speramus nullam vnquam futuram:
quia viribus vt potentissimis est par, ita cæteris su-
perior nationibus, cum fortuna etiam ipsa litigare,
quis nostrum non esset paratus? Et nocte & inter-
diu, & cito, & tarde, & dormienti, & vigilianti, deniq;
vbiuis locorum nullo excepto, mors Tyranno expe-
ctanda esset. Quod enim nefas est, pro libertate Rei-
publicæ vindicanda interimere Tyrannum? qui ad
mortem iure Diuino & humano condemnatus est.
Magnos attulisset eius existimationis autores, sed
quia palam habentur prætermitto. Qui tamen sunt
Tyranni, qui huic legi subsunt? Illi soli qui præter
electiones legitimas, omnium quorum interest, sola
adiuuante vi, & fortuna, Respublicas oppresserunt,
hoc immanissimum genus hominum crudelissimum
est, quam primum quoquo modo è viuis tollendum.
Illi porro, qui electi, aut hæreditario iure regimen
alicuius Respublicæ consequuti sunt, si proruerunt
in Tyrannidem, huic legi non subsunt, nisi modo de-
bito: Data potestas publicè, abrogaretur publicè
per Senatum. Et tempus & mollities eo adduxerunt
existimationem humanam, vt optimum credant ci-
uem, qui sui capitis periculo, propulsare, publica
pericula

pericula non dubitarit, cum id tanquam ex lege, facere teneantur omnes. Interest tamen dicere. Quid sit rei? Cur nemo ruit in pericula? cum sit nemo sine Patria. Ruebant apud Athenienses, ruebant apud Corinthios, ruebant apud Syracusanos, ruebāt apud Spartanos, apud Romanos: & apud Venetos non pauci extiterunt qui publicam salutem, priuata, antiquiorem habebant, & suam pro publica vita periculis obijciebant? Quia apud illos omnes populos, liberatoribus publicis publicè erigebantur simulachra, sempiternæ testimonia memoriæ. Quid pulchrius referri virtuti potuit, quam aspici mortuum à vitis, qui, vt viueret, mortuus est: ingens voluptas, Fratribus, Propinquis, Amicis, Ciuibusq; omnibus fuisset ista. Summi apud nos viri derelicti, quorum simulachra non tantum in marmore non extant, sed nec nomina eorum in libris scripta reperiuntur. Barbarum hoc est, magnorum virorum non annotauisse virtutes, vt cæteri & exempla habeant, & posteritas officij sui recordetur, ad quod à maioribus suis est vocata: hoc primum est virtutis præmium, ab immortalitate petitum. Posterius est, à quo nec barbari alieni sunt, fueruntue: nimirum mutilatis, & interfectorum, in publico periculo, liberis, non suppeditare honestam viuēditionem, vt Ciue mortuo, Pater qui benefacit, viuere videatur. Bone

Deus, quam multi stipem emendicant, qui Reipub.
magna præstiterunt beneficia. Quæ verecundia?
Quis pudor? non erubescere, à nobis, vnum obulum
emendicantem, qui vt ditaret nos, maxima quæque
profundere non dubitauit, Quis offeret se, pro nobis
tot periculis, quis hostibus? quis mortis? Si cum vita,
& memoriam virtutis suæ vir hic clarissimus, amissu-
rum se, sciet. Quot bona iuri caduco subiecta, & nul-
lis meritis plerisq; donantur: adiudicentur ista mu-
tilatis, & occisorum in bello liberis, præter hos alte-
ri nemini: res & iusta, & salua erit, nec destituta suis
præfidijs respublica manebit. Sint leges hac de re,
vt conuenienter vnusquisq; remuneretur: plus eti-
am quam meruit aliquis: quid hoc vetat? cum &
terra bona plus reddit quam acceperit: Magnum,
non deicient animum ciues, maior beneficijs magnis
excutietur, maximum erit robur publicum.

CAP: X. Magna industria curaque, nec sine
sumptibus, exercendos equos censemus. minus pro-
pter necessitatem quæ nulla est. nam & illæ natio-
nes, apud quos plurimum istæ scholæ vigent, equi-
tatu potentes non sunt, & longè inferiores illis qui
istas exercitationes equorum contempserunt: maior
Filiorum iuuentutisq; ratio, & ciuium, quam equo-
rum habenda ratio. Quid refert? Si pulchrè aut mi-
nus conuenienter, equus eleuat pedem: at pluri-
mum.

mū ciues erecto esse animo, & omnino nō plebeio. Diligens cura suscipienda in efficiendis bonis ciuibus, quibus robur publicum retineatur: ac efficiatur magnum. Constitit autem hoc in legibus, & Scholis: de quibus in hac vltima parte nostræ narrationis. Primo vero de legibus, quæ sunt, non secus, ac spiritus vitales Reipublicæ, & quas in primis benè ordinatas habere oportet. Sine Regibus multæ fuerunt & clarissimæ Respublicæ: imo vero Regnis, longè augustissimæ: sine legibus nulla vnquam fuit: nec nobilis nec ignobilis respublica, ignobilis sub legibus seruilibus: nobilis sub legibus ingenuis, quæ nihil seruile, continerent. Ignobilis primūm Rōma, nam dependebat à Regibus, seruiliter magis quàm ingenue: donec correctis auctisq; legibus, liberiores esse ceperunt. Et sanè, fatis diu pro barbaris habebantur: In dies tamen cultiores fiebant, post acceptas à Græcis leges, quibus receptis, & fortunæ eorundem, participes esse voluerunt virtutisq;. Pyrrhus cum primo vidisset acies Romanas, ad prælium aptissimè dispositas admiratus est, & dixisse fertur. Hæc dispositio aciei Barbarorū, non penitus barbara mihi videtur. nam tum temporis legibus nōdum expoliti Romani, cum Barbaris censebantur: sensim leges corrigentes, augentesq; libertatē, creuerunt. Et salus & libertas publica in legibus consistit. nam le-

ges tanquam ratio & rectum iudicium sunt, quibus
Respublica quævis sustentatur, quæ si bonæ sunt, bo-
na Fortuna reipub. si malæ, conturbata respub. in-
quieta, incerta, legibus indiget rectoribus. Licur-
gus quia ingenij satis habuisset, ad Rempub. ordi-
nandam, omnium Rerumpub. gloriosissimam, hu-
manas laudes superauit: Non homo, sed Deus habi-
tus est: & Diuini honores illi habiti extracto eius
honoris templo, vbi pro Deo colebatur, vt Herodo-
tus testis est, & Plutarchus ex Aristotele. Diesq; fe-
sti eius honori dicati, Licurgidæ vocabantur, siue
dies Licurgi. Non Deus certe, homo fuit Licurgus,
sed quia beneficijs homines, aliquatenus similitudi-
ne, similes redduntur Deo, qui summus benefactor
est, Licurgus pro Deo habebatur, quia neminem in-
iuria, omnes beneficijs affecit, constitutis rectissimis
legibus propter quas, tanquam propter beneficium,
alterum amiserat oculum, ab illis effosum, quibus ad
nequitiam & scelera fuit præclusa via. Nec mirum
si antiqui terrenos Deos habebant, de quibus Plu-
tarchus de defectu Oraculorum discurret egregiè:
cum tempus illud sub mortem Christi, Domini no-
stri repetens, magnum Pana mortuum fuisse refert:
& differit quis Deorum moriturus esset. Deus & be-
nefactor, apud antiquos idem fuit: superi quia nun-
quam cessaturi, magna hominibus faciunt beneficia,
maximi

maximi dicebantur. Terrestres, quorum beneficijs
finis futurus erat. Quo de genere Pana illum mortu-
um, Plutarchus fuisse censebat. Profecto sanè legi-
bus rectis, ordinatam facere rempub. Diuinū opus,
humanum omnino non est. Deus est, qui Diuina
præstiterit beneficia, nam beneficentiam Deus mi-
rificè adamauit, & benefactores, tanquam suos ami-
cos & fratres amat, quomodo amicus & Frater Dei,
si non Deus est? non paritate essentiæ, sed similitudi-
ne quadam naturæ, quia bonus. Quæ maior benefi-
centia quam ex legibus constitutis? leges bonæ,
omnes pace, securitate, tranquillitate afficiunt. ini-
uria, neminem. conferre alteri opes exigua est res,
nam cum illis & vita eripi consuevit. Donare alicui
libertatem, est res magna, nam & vitam habebit is
securam, & opes si habiturus est, secure retinebit.
Itaq; qui legibus obfirmauerit libertatem, multa
dedit, nec is, nec alter, plus dare potest. Et ante o-
mnia, si Respub. Principem habuerit, legibus ipsum
coarctare oportet, tanquam feras illas quæ mansue-
tiores factæ, tamen propter suam feritatem, ad natu-
ram sibi innatam redire possunt. male nobis com-
mendata est, Regum potestas animusq; in sacris lite-
ris, Primo Regum. Nam Deus Samueli aperiens,
Quid sit Rex vel quæ eius leges, Tyrannum osten-
dit, feras immanes, cancellis ferreis coarctandas, ne

ſauiant. Et uero ſine Principe eſſe, malum eſt. ſed iſ
ne ſit ſine legibus indomitæ beſtiæ inſtar cogitan-
dum. Nam aliunde tam magnum non imminet peri-
culum: à Regibus in quibus Rebuspubl. fuit iſte
Magiſtratus, oppreſſa libertas ſemper fuit. Romanis,
Rempubl. liberam inſtituerat Romulus, quam Regi-
bus moderandam eſſe duxerunt, uerum aliquandiu
poſt, cum inſolentiam eius magiſtratus, in Tarquinio
ſuperbo perſpexiſſent, Reges exterminarunt, nu-
dam Reipub. formam conſtituentes, ſub qua non
modo longo nimis tempore, ſed glorioſiſſimè vixe-
runt, ac omnia regna immortalī ſuperauerunt glo-
ria, quantā ſub Regibus nequaquam conſequeren-
tur. Lacedæmonij octingentis annis, immutatis le-
gibus perſtiterunt liberi: tandem à Tyranno Ma-
chanida oppreſſi, eidem ſeruientes perierunt. quæ
res in mille alijs perſpicua eſt, nunquam tantum va-
luiffe Regna, quantum Reſpublicæ ualuerunt. Atq;
ante omnia perſpiciendum, ut Principes rectis cir-
cumſcribantur legibus, ne à libertate publica de-
ſendenda, ad eam oppugnandam deſectant, non
clauſo illis ad hoc oſtio. Nemo ſit Patriæ adeo ho-
ſtis, & intra humanum genus ita peruerſus ut exiſti-
mare debeat: ſufficere ſi perſiſterit reſpublica, quia
non ſufficit, nam ſi non libera, nulla eſt, ſi in pericu-
lis conſtituta, incerta. Nec populus ſub Dominatu
homi-

homines sunt, sed iumenta : & quæ fuit olim Respú-
blica : stabulum est vilissimorum iumentorum, quæ
propter sui copiam vilissimè æstimantur. Pluris apud
Dominos æstimantur canes, equi, aues, quam homi-
nes, dico egeni, quos enecari non ægre ferunt : mi-
nimi magnates, quia & ipsorum propter necem le-
tantur, & remunerantur occisores. Prudentissimam
custodiam Regibus adhibere oportet, vt leges pro
consiliarijs habeant. Mathematicorum vulgus Mer-
curium planetam sapientiæ, eum constituit, qui à So-
le raro, nunquam tamen longè recedit, & planè sem-
per Soli præsens est. Nam Regi sine legis sapientia
esse, periculosum, nec quidem sine consilijs est re-
linquendus. Aduocabit Rex bonus, viros probos &
sapientes, quorum probitati & sapientiæ populus
plurimum tribuit. Rex malus negligi faciet illos :
malos sibi consiliarios assumet, quibus in perniciem
Reipub. & omnium bonorum vtetur, ijdem & defe-
ctus & errores Regibus, qui & priuatis. æquè omnes
homines sunt, & priuati boni, & Reges mali esse
possunt. Sed qua in re ista prouidentia consistit,
non in alia certe, quam, ne Senatui nimium benefa-
cere valeat, & qui publici esse deberent, fierent pri-
uati. Hac machina primo Lacedæmoniorum Se-
natum, tentatum fuisse memoriæ proditum est: Cum
Agefilauis Senatui nimis benefacere deprehensus est.

& non

& non modo prohibitus, sed etiam punitus fuit, quia paucis nimis multa, omnibus nihil penè dedisset. Sit modus dandi, sit & accipiendi. Memini me legisse apud Ciceronem: Philippum, Alexandro F. scripsisse. Non corrupas largitionibus, qui accipere sunt parati, ne præbitor non Rex appelleris. Mehercule bonus non accipit plurimum, quia acceptorum referre gratiam habet animum. Mali non ponunt modum accipiendi, quia male faciendi non est finis: possunt nocere remunerando benefacta (si non malefacta sunt) plus, quam mens humana concipere possit: Boni prodesse tantum non possunt, quia nocendi facilis via & occasio, consulendi aliorum necessitatibus, non item. Nec maior pestis est, quam non assignauisse modum dandi, Regibus. nec accipiendi, inferioribus. quia accipiendo mali peiores euadunt, boni corrumpuntur & obmutescunt. Euenit enim quandoq; ut Principes diutiùs uiuentes, beneficij suis, Senatoribus saturatis, in sua potestate faciendi quæ uelint habeant: Quod magnū periculum est. præcipuè, si ista potestas, ad maleuolū animum accesserit, quæ in maiori potestate licentiosior fit, & tanquam nauis procella, cupiditate corripitur. Bonis res, nulla nocet, nec deteriores efficit, sed tamen conditioni & fragilitati humanæ consulendum; prospiciendum, quia cum imperfectis uiuitur. & si boni
sunt

sunt corrumpi possunt. Saluti potius & libertati cō-
sulendum: quod præterijt, illud immutari nequit,
incertum quod futurū est. Nerone quid humanius
postea: truculentius & nihil; qui nec à matre, nec à
Præceptore suo sanctissimo, animum crudelem &
manus sceleratas cohibuit. Si bonorum in animo
confidere vix aliquis potest? Mediocrium sententi-
æ quis stabit? Malorum primum quis non con-
demnabit verbum? Beneficijs autem plerumq; ma-
li redduntur ciues, videlicet qui aut ingenij minus
habuerint: aut cupiditatis retinendæ & acquirendæ
potentiæ plurimum. Glinscius ille peruersus trans-
fuga, ad magnam potentiã euectus liberalitate & be-
nificetia Regis primo suis nimia. conciuibus, postea
ipsi Reipub. grauis fuit. Porro & Senatū leges vrgere
debent, nam tota vis Reipub. & cardo à Senatus de-
pendet, dignitate & vigilantia. Et quam sit impium,
non respondere Senatorem suo officio. & quam res
absurda, omnes facile possunt iudicare. Propter gal-
linas aut sues repub. deserere, dignitati suæ non
respondere authoritatem publicam contemptui ex-
ponere, res sane est dura & miserrima. Romanus Se-
nator vnā paruam ad reportandos fructus, habere
poterat nauim. magnam nullam, ne magis mercato-
rem quam Senatorem ageret. Nullum publicum cō-
siliū est sine periculo publicæ salutis: hac, quid

O

Carius?

carius ? quam ad rem obligatúr quilibet : magis ta-
men Senator, tum propter dignitatem, tum propter
beneficia, quæ illi secum dignitas attulit. Si miles
stipendio accepto, prælio imminente non compa-
ruerit, quo crimine, qua penæ atrocitate tene-
tur : quis ignorat ? & sanè propter rei magnitudinẽ,
aut raro aut nunquam id contingit. Comparemus
rem ad rem, causam ad causam, mercedem ad mer-
cedem : magis obligari Senatorem, cum propter pu-
blicum maius stipendium, tum propter maiorem
Senatus necessitatem. Frustra sunt arma foris, si nul-
lum consilium domi. Nec tantum prospicere oportet,
vt legibus indicatur Senatui vigilantia : Sed pro-
uidendum est, ne leuibus, & non frui, tantæ pateant
dignitates. Quomodo qui fuit in abiectio ministerio,
in dignitate generosus esse potest ? Quomodo
qui rem priuatam male gessit, publicam bene tra-
ctabit ? Quomodo, in quo nulla effulsit animi ma-
gnitudo, liberè quod necessum est dicet ? Si virtus
genusq; consenserint, res optima erit, si non, virtu-
tis habenda ratio. Multos defecisse à maioribus suis
vidimus. aliquos maiorum suorum superauisse gra-
uitatem cognouimus : aufert ab alijs, confert alijs,
sua beneficia tam fortuna quam natura : Non tantú
regna & imperia à gente in gentem, etiam à Fami-
liis in Familias, animorum grauitas morum elegãtia,
sapien-

sapientiã amplitudo transferuntur. Militiã leges
esse necessarias, quis negabit? Aliã sint tyronum
veteranorum aliã. cur non sunt magistri equitum?
cur exercitationes vniuersis non indictã, vt effusis-
simo in cursu equi, quisq; & recondere, & depro-
mere arma asuescat, vltimq; armorum expeditissi-
mum discat. Tollendum militiã illiberale otium,
vt non modo exercitationibus fortes magniq; eua-
dant: sed etiam turpissimis computationibus, &
turbulentis concilijs tempus subtrahatur. Turpis
est & inutilis inexercitatus miles. Sutores nō vocan-
tur nisi eius artis peritissimi, cur milites? adcone
hoc genus vitæ abiectum, vt solum sine arte valere
possit? Et constitutos ordines retinere, & dilapsos
restituere artis est, eosdem coarctari, & extendi, in-
terdum iuuat. Quid vero ad cæteras leges: quæ ci-
uium spectant immunitates? Hæc rebus in duabus
consistunt, in iusticia videlicet & securitate: acerbis-
simum est differri iusticiam, ambagibus iuris & anfra-
ctibus acerbissimis. O Deus bone, quàm magni
sumptus, quàm longa mora, desiderantibus iustici-
am: quibus satius est, perpeti quæuis damna, quam-
uis iniuriam, quam operiri iustitiam. Quot intro-
missiones innanes, illa vadia nescio quomodo vo-
canda, quid hoc est, si non malorum patrocinium?
Vel si vltiora respiciamus, exequutio quanto tem-

pore expectanda? Quid vero si litigium illud iudicij sit? quorum interstitia, multorum interdum fiunt annorum, mente commoueri eum oportet, qui rem animo penitus conceperit. Quæ improbitas? quæ impietas? denegare quod est alienum? & summa iniuria, non reddere. Cuius authoritas hunc absoluet? qui iura & Diuina & humana violauit? in faciendis damnis, nunquam resarciendis. Res leuis videtur, non iudicare. necessaria, priuatis suis negotiis inuigilare: atqui priuata sine scelere publicis præponi non possunt. Atqui non iudicare statis temporibus, damnum est inferre multis, damnum omnibus? tales absolui nisi recompensatis damnis nec solent, nec possunt. Recolligant se quorum id officij est. Nec in eo leges tantum considerandæ, vt certa & sine mora fiat iustitia, sed in securitatem publicam instituendæ. bonorumq; quam malorum prius habenda ratio. Faucant bonis magis, quam malis patrocinentur leges: Et prius innocentibus magisq; quam nocentibus patrocinari debent. Summa ista iniquitas & summa iniustitia est: deprædatoribus homicidis, latronibus iura & priuilegia suffragari: vir bonus, innocens, quietus, eam libertatem habere non potest, quin inuadatur, occidatur, spoliatur: Homo improbus, sceleratus, nefarius inuocat suam libertatem, quam nuper viro innocentissimo eripu-

it: Illi sceleratissimo homicidæ nefas eripere libertatem, huic innocentissimo & optimo viro, cum vita, iam est erepta, quomodo leges non malis patrocinantur istæ? Bonos spectare debet non improbos libertas, sin secus prius mors subeunda, quam iustitia imploranda veniet. ô duram sortem innocentium, qui nullam habent libertatem, perpetuas à sceleratis coguntur perferre iniurias. Pater Tuus æterna memoria dignissimus, cum propter multa alia, tum propter iustitiam incomparabilem, qui plus innocentia fuit, quam suum sanguinem amavit. Memini cum vir bonus quidam, à vicino potentiori premeretur, illè ad potentiozem Ioannem Tencinium imploraturus auxiliũ accessisset: atq; se illi (exposita iniuria) venditurum villam hanc declararet. Quarit Tencinius. Cuius sit iuris & apertissimi respondet. At ille. Fac te iure defendas. Neq; enim Tenciniis moris est, minus iuste acquirere villas, quo eis diutius fruãtur. Digna vox viro iusto, sed si æqua, & viro magno digna, iudicabit posteritas, vbi amor & odium aberit. Quid vero de illis constituendum esset improbis procuratoribus, qui lites incipientes à vi, & legis iniuria, docent. certe improbanda res vltimo esset supplicio: neque enim rem suam vindicare licet: immouero iura, huiusmodi vindicatorem ad amissionem rei condemnauerunt. Sed libertas,

bertas, in faciendo, quæ velis consistit? ita equidem est; sed in faciendo bona quæ velis. Deus liber est & liberrimus certe. non tamen deflectit ad malum nec deflectere potest. Furari, latrocinari, nunquam licet, vitam defendere, Fortunas, quæ iura prohibent? Libertatem non defendere scelus est, & impietas maxima. Si modo vixisset Brutus, Cæsiusue, & interemisset Tyrannum, qui vi & scelere oppressisset Patriam non peccauisset: libertatem vnicuique; Deus defendendam permisit. Nulla tanta auctoritas in terris, quæ ipsam nationibus liberis excutere habeat facultatem. Si aliqui volunt, non concedendum, nam non pietas sed impietas ista est: non audiendum, quia vox ista non hominis sed Tyranni fuisset: non sustinendum, quia non probi sed improbi technæ istæ essent: non obtemperantis, sed seruilis animi & abiectissimi existimaretur parere, & esset equidem. Est modus pietati, in regēdo, non dico imperando: est in obtemperando, qui ipsis etiam religiosi descriptus est, vbi parere debeant, vbi non: si ita apud hos. Quid in Politis?

CAP: XI. Habere rectè ordinatas leges bonum est Rebuspubl. sed hoc, quid est? si non observantur? Non illum existimo iurisperitum, qui multas recordatur, sed qui omnes adimpleuit, leges. Memini me legisse. quendam præceptorum coram suo d

fuo discipulo magnæ indolis gloriatum fuisse: Nul-
lam esse legem cuius ille expertus esset: Cui discipu-
lus, in tanta igitur legum noticia. dic mihi ô præce-
ptor, cui nam satisfeceris? viuebat enim dissolutissi-
me, verum puer non attendebat moribus, præceptis
admodum, nam pietas, vel vix, vel nequaquam edo-
cetur, iudicium corrigit prauos affectus. Hac de
causa Stoici suam Philosophiam literis mandare non
sustinuerunt, quia illa in moribus consistebat, non
in sciendo. Et vero facere non dicere docet Philo-
sophia. Lacedæmoniorum leges scribere non licu-
it, scire omnibus erat indictum, vt ciues eas memo-
ria tenendo easdem exequerentur. Quid iuuat mul-
tas nouas condidisse, si nec nouæ nec antiquæ ob-
seruantur: Non in multitudine legum consistit Re-
spubl. sed in earum obseruatione. Nam sicut victus
ratio disordinata, & morum & sanitatis facit magnâ
dissolutionem: ita legum non obseruantia, magnas
facit in Rebuspubl. mutationes: quæ mutationes
pariunt multa & horribilia pericula. mutare consue-
tudines in leges bonum est: leges periculosas in se-
curiores, necessarium: à legibus discedere, & sine
legibus res administrare, ista est mutatio periculosa.
Sint etiam legum periculosæ mutationes, sed si ne-
cessariæ immutentur, nam leuius periclitari, perire
grauius. Ita q; Spartani, frugalitate explosa, repudia-
uerunt

uerunt léges non immutauerunt. cum aurum argen-
tumue in ciuitatem receperunt. Romani perierunt,
quum censoriam potestatem contempserunt. nam
rem mediocriter malam non modo non correxerunt.
sed etiam optimã proscriserunt. Verumenimvero
quæ leges sunt bonæ quæ immutandæ, operæ preci-
um est cognoscere. Primo sunt bonæ, quæ liberta-
tem tuentur, & publicam præstant securitatem. Tã-
dem illæ quæ seditiones ex priuatis causis prohibêt,
vt apud nos, & sæpe fieri solet: non aded tamen vt
alibi, nam in Gallia, ex hoc fonte seditiones ortæ,
multos milliones, quem numerum dicere sit nefas
(vt prodiderunt viri magni) breui tempore absor-
pserunt. Immutandæ illæ sunt, quæ aut seruitutis
notam aliquam: aut periculum, exiguum etiam ha-
bent: Nam malis occasio penitus omnis auferenda:
bonis non danda. nullum vnquam fuisset peccatum,
si omnino tollerentur occasiones. quæ Tyrannos,
& fures faciunt. Et vero dicendum quare à legibus
discedere non liceat: quam rem in duo diuidamus
membra. Primum quia turpe est: Postea quia peri-
culosum. Turpè est, nam magnæ leuitatis & incon-
stantiæ, hoc est indicium. Chamaleontis ista natura,
vt varios recipiat colores, retineat, nullum: quem-
admodum ille Proteus, multorum carminibus in-
constantia causa decantatus Leuitas porro, malè
compõ-

incompositi, est animi, & aquei nimis vitium, ideo à leuiusculo vento commouetur, leuis enim res & seipsam commouet, & omnino sine mutatione persistere nequit. Benè apud Philosophos operatio arguit formam: quæ natio huc atq; illuc à legibus deflectit, illa tentari potest corruptionibus. nam ad corrumpendum facilis est, propter prauum iudicium. apud talem populum nec proditio intolerabilis. Et tametsi multi leuiusculi nascantur: alij grauitatem non suxerunt è Philosophia: tamen omnes publicè ad constantiam, legibus sint adstricti: hoc est ad obseruandas leges. quæ est publica grauitas. Periculosum, quia sine confusione vniuersos esse, possibile non est, nulla obseruantia, nulla concordia ciuium: Et superiores cessabunt ab officio, & inferiores ab obedientia discedent: non secus, quam illi, qui viam deserunt, quo se vertant, nesciunt, & non vadunt, sed vagantur, quousq; ad flumina sine vadis, aut ad paludes immensas peruenerint, vbi erit pereundum. Leges sunt tanquam oculi in corpore, qui illustrent, in nauì nauclerus, qui nauem deducit securè, Rex in Politicis. Et vero, sine Rege Respublicæ esse possunt, sine lege, nec Rex, nec Respublica. Mundi ista machina dudum corruisset, nisi res quælibet, suis legibus obtemperaret. Ignis aquæ legibus non derogat, nec solus à suis discedit. Terra à ærem non suffocat, neq;

cat, neq; sibi eius arrogat locum: cuncta suis legibus parere didicerunt, nec ab illis discedere possunt: Irrationalia ita, homines rationales à legibus cur discedunt? Non dico ab illis quæ probabiles, sed quæ naturales sunt, tanta humana est malignitas. Legi, inexpugnatione urbis Mytilene per Machometem, Veneti cuiusdam, cum cæteris quam pluribus dissecti cadauer, bouem, agnito suo Domino, ad locum singularem detulisse, legis quadam obseruatione, qua se teneri erga suum Dominum à natura fuit edoctus. Peruersum genus humanum, quod, quid debeat legibus? quid Patriæ? ignorat nec scire vult. Et quidem non omnium gentium hoc vitium est, admodum paucarum: non omnes ista leuitate laborant, aliqua à ratione discedere non possunt. Et quantumuis quæq; longissimè discedat à legibus, nulla tamen est, quæ se sine illis persistere posse arbitretur, sed, ac si illas, quas non obseruat, non habeat. constituit nouas, longam earum & inextricabilem seriem texendo, quarum multitudo confusio- nem parit. Ea legum instabilitas animum inconstantem arguit: vestium postea disparitas, vtrumq; dicitur enim indicat vestis, quales intus estis. nouæ cum legibus semper vestes confinguntur, & ridiculosæ. Germanum ex vestibus cognosces: Polonum, nunc, si videris, Germanum existimabis, quorum
tunica

tunicâ curta, femoralia larga, vt Germanorum sunt. Bohemi, paucos ante annos, cum suum immutauissent, & Hispanicum habitum assumpsissent paulo post etiam Hispano iurare coacti sunt: malum est omen, inimicæ sibi, gentis, vestiri habitu. Eodem habitu & legibus semper vti bonum est. Non profunt nouæ conditæ, si antiquæ non obseruantur leges, Lacedæmonij octingentis perstiterunt annis, centum quatuordecim institutis & obseruatis legibus, non in multitudine sed in obseruatione legum consistit Respub. quælibet. Tribus autem in capitibus leges vniuersæ consistunt. Quid debeat Rex. Quod Senatus & Magistratus Officium. Ad quid teneatur populus: Nec corrigere eas leges oportebit si obseruabuntur. Non obseruatio vitium legibus ingenerat, vt correctione indigeant, leges ipsæ hac correctione non indigent. Tam propter malos, obseruare leges opus est vt eradicarentur, quàm propter bonos ne corrumpantur, virtus est patientia, & tamen læsa vertitur in furorem. Coriolanus Romanus virtute insignis, ad quod scelus prouerat suæ virtutis contumelia? & qui vindicator Patriæ, quin parricida fieret paululum absuit. Nam fortitudo si Philosophia circumscripta non est, pertinaaciæ & malignitatis nonnullas habet scintillas, quæ errumpunt in magnum incendium, irritatæ contemp-

ptu & despicientia Fortitudinis. Fortes viros in primis venerari oportet. eos dico qui sibi id non arrogant, sed quod illis ab omnibus tribuitur. Sunt enim quàm plures, qui vix Tyrocinnium tetigerunt, se aut ultra, aut summis quibusuis æquent Imperatoribus, qui tamen non ob suam dignitatem, sed ob fauorem quorundam Heroum Rotmagistri facti sunt. & si aliquid valent manibus, ingenio penitus nihil, qua in re potissimè ars imperatoria consistit. Horum, si non liberaliter, nullus respectus habendus. Is tamen magnus censendus, qui aut cum admiratione militiam administravit. aut solus ingenio & manu tantum valuit, quantum humana potestas vix attingere existimatur. Cuiusmodi fuit noster N. Chmielecius, artibus circumueniendi hostem vir incomparabilis, quod semper exiguo suorum fecit periculo, magna Tartarorum strage: deseruisse tanti viri virtutem, & periculosum & nefas fuit. nam tales viri se contemni non patiuntur, & se contemni iudicant cum despiciuntur. Doctorum hominum, non adeo vsq; habenda ratio, nam eorum pleriq; vita priuata ducuntur, publicis tamen non desunt necessitatibus, neq; etiam ambitiosi sunt si vere sunt sapientes. Nihil vero est ridiculosius, quam imponere mortuis leges, & quod viui non habebant præter legem, id mortui vt derelinquant imperare: quasi timeant, quod non ser-

non seruauit uiuus, ne rursus, mortuus violet. Nihil nostrum post mortem, Reipub. sunt omnia, quæ in vita Respublica nobis utenda dederat. Quilibet derelinquit sua post mortem, aliena quomodo relicta non faciet? Quæ hæreditaria habemus relinquimus hæredibus. quæ utendū acceperamus, eorum à quibus accepimus, res, post Fata nostra, facimus. Damus nostrum, restituimus alienum. Legum non obseruatione omnia confunduntur, nullus modus nostra repetendi, nullum ius aliena reddendi, casu tanquam omnia fiunt & geruntur. ordine certo, iure recto, nihil. Difficile in huiusmodi calamitosa Reipub. cognoscere. quid? vel cuius sit? & quantum iuris quisquam habeat. nam tantum quilibet; arrogat sibi iuris quantum potest. Nulla reuerentia legum: nullus amor Patriæ, nulla obseruantia Reipubl. nullus honor ciuium, quæ res Romanis attulit interitum, nam cum antiquis legibus, antiquam retinuerunt virtutem, cum nouis, noua in urbem attulerunt vitia. Et nos perimus, hac ordinis perturbatione, non conseruamur, ut vulgo dicitur; nam hæc perturbatio paucos ante annos serpere cepit, & nos perdere. Quid faciendum, quis non videt? nunc summi viri immortalis gloriæ sibi comparandæ habent occasionem, qui id facere & possunt & tenentur. Quæ tamen ratione obseruatiã legum retinenda? si inson-

res, celerissima fiat animaduersio, nam cæditur canis
vt leo timeat: nec superiores audebunt alterum cõ-
demnare, quos simile crimen condemnauerit. Itaq;
si leges respiciant fauorem bonorum, eosque solos
defendant, promoueant, iis faueant, non deerunt
optimi Ciues.

CAP: XII. Ad Scholas descendamus, quæ ma-
xime bonos Ciues efficiunt, nam leges potiùs, bo-
nos ciues in officio retinent, quàm ipsos faciant,
Scholæ tamen sunt eorum officinæ. & sicut in incor-
rupto hepate, bonus sanguis generatur, ita è bonis
Scholis, bona emittitur iuuentus, vel potiùs in illis
boni ciues generantur. Et sanè si aliquos defectus
Respublicæ patiùtur, id fit aut propter defectus, aut
propter errores Scholarum. nemo alteram quærat
causam, nam altera inueniri nequit, & non est certe.
Fabulas nos legisse arbitramur, cum admirabilia cla-
refacta summorum virorum legimus: Et qui attétius
illa legerit, aut fidem res gestæ ab illis, excedere vide-
buntur: Aut isto tempore esse homines dubitabit.
Quanta fides, quanta pietas antiquorum & qui nec
domum pestilentem vendere audebant, nisi vitium
domus emptori edicerent. Integritatem Catonis,
sanctitatem Senecæ, virtutem Pelopidæ, Dionis for-
titudinem quis edicet & Aliqui vitam pro salute Pa-
triæ profuderunt, Alij pro Patria sanguine liberorû,
litaue-

litauerunt. Alij quicquid cari habebant, Patriæ obtulerunt: non defuerunt qui & sua & liberorum vita, & opibus ad extremam vsq; egestatem, patriam subleuare non dubitarunt. Nemo miretur antiquos adeo prodigos vitæ & facultatum suarum, in publicis necessitatibus subleuandis: nam è Scholis publicis, è Magistris non fictis, ex Philosophia non ementita didicerant, non posse amissa publica vita, priuatam conseruare, publica porro vita in publica consistit libertate. Hos quis enumerabit qui vitam profuderunt? nam hoc omnibus obuium, quia omnes habent vitam, liberos non omnes, pauci facultates. Fuerunt tamen, qui liberos etiam suos, saluti & libertati Patriæ obtulerunt vt Charon Thebanus, qui obsides Pelopidæ dedit Filios suos quo magis animi sui fidem in liberanda à Tyrannis Patria & suam incēderet & aliorū inflammaret. M. Brutus summo in angore, Filios in oculis plectēdos tradidit: & cum Populus Patris propter virtutem, filiorū misereret. ille propter amorem Reipublicæ, nec sibi nec Filiis pepercit. virtus illa ingens fuit, & tanta, quanta mētem etiā perturbat humanā nam incredibilis videtur, p̄sertim Patribus, quibus solis amor liberorum patet: quanquā sit verum & amorem esse in descensum decantatum esset, plus amamus liberos, quam nos ab illis amamur, natura id efficiente. Fortunas expendere:

dere : nec ista res mediocris esse videtur. nam propter illas acquirendas, innumerabilia suscipiuntur pericula : vitam propter illas multi exposuerunt : aliqui ante eas perditas, vitam deposuerunt, nec nisi mortuis eripi poterant. Difficillimum est humano generi opes fortunæque profundere, nam pro his omnia sunt vendibilia, admodum in expendendis istis, sunt tenaces homines : aliqui nihil, aliqui parum, multum aliqui expendunt, spem habentes, damnum resarciendi, & hi non contemnendi, quia spes quamuis omnes alit, sed paucos non fallit. At tamen si Reipub. profuerunt, eadem, si non illis, tamen posteritati eorū rependat oportet, maiore etiam quam acceperit mensura. Maximam rem dixi, præstitisse eum Republicæ, qui opibus suis eidem seruiuit : Nam eius dementiæ est hoc sæculum, ut aliqui filiorum eandem, quam & pediculorum habeant rationem, quia utriq; ex se geniti. Apud antiquos, frequentissima sunt, liberalitatis ineffabilis erga patriam exempla, sane & hoc tempore, quamuis pauci reperiuntur, qui omnes summa laude sunt dignissimi. Ille tamen in vicinia vituperandus, & omnibus imprecationibus laceffendus est, è cuius arce centum viginti quadrigæ argentum euexerunt, nonne iste homo tanto thesauro, libertatem patriæ & suam existimationem subleuare potuisset, amisit sceleratus.

thesau-

thesaurum, amisit libertatem, perdidit & Patriam: neq; hoc sufficit, sibi perpetuam infamiam peperit. Gallia huius generis liberalitate in Patriam, omnibus certè nationibus illustrior habetur: non desunt opulentissimæ Familiæ, quæ propter libertatem tuendam, extremam non reformidant egestatem. non egebunt tamen, bene collocavit is suam substantiam, cuius in omnes redundarunt beneficia. Sint aliqui ingrati, non deerunt tamen gratissimi, qui ut bona terra, plus, quam acceperunt reddent. Magna igitur res vitam Patriæ donare, maior liberos, maxima opes. Quid dicendum? qui omnia ista Patriæ donauerunt. nemo in dubium vocet superius allata, quia viris probissimis & Ciuibus optimis, leuia ista fuerunt: nostra quoq; tempora confirmabunt eum, qui de rerum magnitudine dubitauerit. Palphius Nobilis Hungarus, in domo sua cum vxore liberisq; à Turcis ex improuiso præuentus, & captiuus factus, re insperata ut par fuit tanto in periculo, primo conturbatus: tandem bono animo esse iussus. propositaq; sibi libertate & præmiis, ad prodendum Strigonium sollicitatus est, re vxori patefacta, generosa mulier hortatur maritum, ut publicæ, non suæ liberorumq; saluti, consuleret. Vadit ille Strigonium, obsidibus Turcis relictis: edocet Ciues vrbi insidias paratas: hostesq; ni periculo celeriter occurratur,

Q

irruptu-

irrupturos. Fide hac in patriam omnibus sæculis
notanda, elusi Barbari, ante vr̄bis mania, nullam
crudelitatis speciem eius in liberos non omiserunt.
Dolebant Barbari, à puerulis, ereptum sibi Strigo-
nium: Gaudebat Palsius, quia morte liberorum, vr̄-
bem clarissimam ab interitu & fæda seruitute libe-
rauisset. Neq; enim clarius liberari vr̄bs, nec sui filij
pulchrius mori potuerunt. Non est igitur opus, vt in
multis antiquis singula quæram, cum hoc sæculo, in
vno, omnia prædicta reperiantur. Tamen vt admi-
rabile, ita rarissimum hoc est exemplum: dico, hoc
tempore nostro. Quid vero causæ, cur ciues boni
adeo rari sunt? in vno reperire omnia vix possibile,
& præsertim tempore hoc, seruire, pro pietate habe-
tur, tanquam omnes ad seruiendum nascamur. vnde
tamen hoc fit? Certe si antiquorum aliquis excita-
retur ab inferis, & collapsarum Rerumpub. causas di-
cturus, aut easdem restauraturus, rogaretur. Primo
Scholas adiisset, quid ibi doceatur perspecturus. hoc
enim primum & maximum ciuium est seminarium.
Quid vidisset ibi? ineptias; & disciplinas & magi-
stros, Rebuspub. non modo inutiles, sed pernicio-
sos. Alij sunt mores laicorum: diuersi omnino esse
debent Spiritualium vtriq; tamen boni. nam horum
perfectissimi esse debent. illorum, modo non sint
mali sufficit. Et vero viris constitutis, in Politicis
digni-

dignitatibus moribus suæ conditioni non responde-
re, Rebus publicis est exitiosum: Sit hic vir bonus
oportet, Cordatus, Patriæ amans. Nam curæ habe-
re salutem Reipublicæ magna pietas est. Templis
extruendis occupari, & hostibus diuexandi subdi-
tos, opportunitatem permittere magna impietas, de-
lirat qui secus dicit, nam ad hoc nemo obligatur, ad
illud omnes, magis vero, qui in eum finem, sunt in-
stituti. Quid iuuat sedere in illis cellulis opacis, ad
candelas interdium morari, inter Caluarias mortuo-
rum dormire? qui non facit satis suo officio, Reipub.
omnibus, illæ exquisitæ meditationes haud illi pro-
sunt, obsunt certè & illi & omnibus: quorum id pro-
fessionis est, faciant. Vir Politicus, nihil faciat tur-
pe nihil inhonestum: Reipub. utilitati, libertatis se-
curitati attendat: nemo sequatur alios, aut caute,
ne à seipso recedat, quod turpe vitium est. Sed mis-
sa ista faciamus omnia, deseramus istam diuersita-
tem morum. quanquam qui eos confundit, non mi-
nus peccat, quam ille, qui peditatum, multis eque-
stribus copiis in planissimis & solidissimis campis
objiceret. Huiusmodi homines, domi sunt versuti,
publicè pertinaces, se ad vim sæpè proripientes, sed
eam non sustinentes, propter perturbatum animum.
Est aliud, quod in Scholis suppressum est: res admo-
dum utilis, sine qua nulla vnquam perstitit respubl.

& modo reliquum libertatis periclitatur: vnde magna fraus perspicui poterit Scholarum. Dicant ista Collegia, quo fecerunt, illam nobilissimam Philosophiam partem, quae de laudibus tractat libertatis, de Turpitudine seruitutis, cognitione Tyrannorum, Amore Patriae, Officio bonorum Ciuium virorumque; Coniurauerunt penitus in Respublicas, in libertates: primoque aggressi, lumen illud, humanae vitae extinguere, & iam hoc tempore, ita illud suffocauerunt, ut vix sunt qui eam partem Philosophiae fuisse scirent. adeo dementauerunt humanum genus, falsam Philosophiam pro vera, tanquam prolem supposititiam, supponentes. Docent nos quid sit ens? hoc volumus quid sit libertas? Docent quot modis dicatur homo? hoc volumus quid homo homini debeat. Docent quod Actio & passio sunt vnus motus: hoc ostendant, quod libertas cum seruitute aequè quam virtus & vitium, magis quam album & nigrum opponuntur. Apud Antiquos, Graecos praesertim, haec pars Philosophiae in primis viguit, & in Scholis nihil diligentius, nihil serius tractabatur, quam haec: Quo magis ipsam iuuentuti, quae futura erat Reipub. materia inculcarent: vbi docebatur nullam rem grauem esse, praeter seruitutem: nullam meliorem libertate. Et vero, ita est, quae voluptas in seruitute? bonorum quae habemus libertas condimen-

dimentum est. Quid iuvat ditissimum esse & vel magna habere nomina, si in seruitute? Nihil refert diues pauperné vixeris, si in libertate, nam tuus es, quod sufficit: In seruitute, tam nos ipsi alieni, quam bona quæ habemus non sunt nostra. nec distingui-
mur ab illis, qui aliena ex gratia, & viuunt & edunt. non suam habet vitam qui Domini est: Seruus nihil sibi acquirit, quicquid habet, Domini sunt. Sunt nihilominus Domini & crudeliores & leniores. Si seruus habeat Dominum crudeliorem, infelix est, si leniorem, nihilo est felicior. nam Dominus non serui gratia id faciet, sed quia bonus est. Satis est Dominum posse vti iure suo, cum libuerit. Et quemadmodum ille, qui sub acinace periculosissimè suspenso, sedens, mensarum appositione, immemor periculi, effusè gaudens, insanus videretur & esset sanè: multo magis illum insanire existimaui-
sem, qui Dominatum non pertimescens: magnis nominibus, & magnis opibus contentus esse velit: Nam mori quocunq; casu humanum est, seruire nequaquam humanum, nec omnium brutorum sed abiectissimorum. Tragicis viri ditissimi sub Dominatu similes, qui in scena pulchrè sunt ornati, Regum quando & Magnorum Principum speciem præferentes, & paulo post ad eos prior, & illis naturalis conditio redit. In seruitute magna nomina, & di-

uitiæ magnæ compedes sunt, & maioris infamiæ,
notæ. His rebus animatus Dion Syracusanus, non
minus fortitudine, quam Philosophia clarissimus,
admirabiles conatus, Patriæ liberandæ, admouit,
nec cessauit, donec libertatem conciuius, & sociis
suis restituisset: maxima vi, audacia incredibili, eri-
puit Tyranno Patriam, liberauit conciues à seruitu-
te, restituit ciuitati libertatem: cuius virtuti ne feræ
ipsæ defuerunt, quo minus Tyranno res ad notitiam
peruenisset; nam lupo tabellario, literas in quibus
res Dionysio fuit perscripta abstulisse traditur. Vnde
hoc Dioni cæterisque Græcis: à Philosophia; quæ
illis omnibus, quam sit libertas pulchra, nec absque
ea posse esse homines, ad oculum ostenderat: Nam
non modo ipse Pythagoreis & Platoniceis sententiis
instructissimus: sed etiam Dionysium iuniorem, in-
strui apprime studuit, vt Tyrannide deposita tam
sibi ipsi, quam suis ciuibus libertatem restituat. nec
ipsum id facere posse commodius, aiebat. quam, si,
quid sit libertas didicisset: quam ob rem à Dionysio,
vocatus Plato Athenis, Syracusas venerat. Erant
multi in Græcia huiusmodi, qui propter libertatem,
crudelissima quæque non reformidauerunt, tanquam
propter virtutem, exercitium. Quid de Tymoleonte
loquar? quid de Aristide? quid de cæteris Græco-
rum Ciuibus optimis, quorum animus in Philoso-
phia

phia creuit, animus virtutem coluit, virtus Patriæ profuit. Romæ antiquitus omnes artes proscriptæ, sola Rhetorica coniuncta Philosophiæ claruit. nec illa rebus nullius momenti, sed magnorum virorum & libertatis laudibus accommodata. hinc fuit, quod tanti oratores Romæ habebantur, quia in Scholis eo dicendi genere sese exercitauerunt. Non quidem studio superandi alios, sed studio inflâmmandi omnes ad libertatis studium, & seruitutis odium. Neq; etiam aliis Scholis Romæ versari permissum fuit, præter Pythagoricam Platoniamque, quarum vtrâq; in bonis Ciuibus faciendis versabatur. Deinceps cum reliquis disciplinis & Epicurea Secta fuit introducta. Inde Iulius Cæsar cum sibi cauendum esse à Cassio. moneretur: Dixisse traditur, Pallidos eam ad rem aptiores, obesis. Quid ad faciem ventremque? Studia subintelligi voluit. nam Brutus Stoicus qui seruitutem odiuit: Cassius Epicureus quæ Secta voluptatibus indulgere traditur, fuit: itaq; magis Stoicum quam Epicureum pertimescebat, quia hic inanibus rebus immersus, seria intermittebat: ille postpositis omnibus publico commodo inuigilabat. Talis fuit Cato, qui omnes humanas laudes superauit: Atque vt libertatis & Patriæ amorem hauserat. ita ad vltimum vsq; spiritum, eundem & retinuit & tutatus est. nec ante Catonem interiit liberras, nec perman-

permansit post Catonem. Postea aliis exercitiis, occupari ingenia hominum cæpta sunt. introductæ variae artes: cum olim sola illa libertatis sapientia viguisset. cuius peritissimæ & mulieres fuerunt adeo, vt Cornelia mater Gracchorum Filios ad libertatem tuendam acerrime hortata esset. Vltimo Romanæ libertatis tempore, nouitate scientiarum ista gloriosissima Philosophia oppressa, dum & mulieres istarum artium, recentissimè illatarum, erant non ignaræ. & Cornelia quæ post mortem Crassi, secundò, M. Pompeio nupserat, artis dimetiendorum castrorum & reliquæ Geometriæ fuit peritissima: adeo magnus Imperator artes necessarias esse, rebus agendis, existimauit, vt non modo suum famulatum, sed ne vxorem sine ingenio habere voluisset. O veram Philosophiam, ô beatissimam, quæ Græciam ad tantam asseruerat & libertatem & gloriam. ô multis nationibus prædicandam, inculcandam, commendandam. quæ Romanis ad immortale & admirabile nomen aperuit ostium, cum quibus certant, & certabunt omnes nationes pari de gloria, sed non superauerunt, nec superabunt fortè, nisi restitui faciant illud singulare studium, quod non modo Ciuibus, sed Regibus etiam in Rebuspub. regnantibus magnum affert splendorem gloriamq;. Etenim si iumenta & homines differunt, vt certe differunt: Seruos & liberos eo

ros eò modo differre oportet regesq; eorum: Dignissimi illi Reges, qui liberis præfunt populis, indignissimi qui seruis quia non secus ac iumentis. Persarum Reges, cum fuerunt potentissimi solos Lacedæmonorum Reges venerabantur, ac coluerunt semper, quia illi libero populo præfuerunt, reliquos nihili habebant. Hinc apparet quo loco Dux Venetus sit habendus, qui iam solus illis in partibus hominibus præest, solus Magnus, solus Princeps, ceteri Patresfamilias. Contendat quiuis Regum pro Ciuium libertate, vt sit potens. nam nullus Dominorum potens esse potest: quam rem perspiciat quiuis in opulentissimis Regnis, quæ satis pecuniæ, fortitudinis minus iusto, aut penitus habent nihil. Contendat quilibet Ciuium vt sit Rex, nam qui est liber, Rex est: subest quidem, sed, vt se, gloriosorem faciat. Contendat quiuis hominum, vt sit liber, nam secus homo non erit, ad quam rem illa Philosophia, de qua differuimus, armabitur. vita ac moribus fiet innocentissimus.

CAP: XIII. Scholis retinendam libertatem diximus, vt hepatis bonitate, sanguinem bonum. Nûc qua via Scholæ retinendæ, in publico officio dicendum, vt rem nostram concludamus. vna autem ad hoc via est & simplex, & penitus non difficilis, videlicet vt Scholæ istæ sint publicæ. Nemo tamen arbi-

R

tretur

tritur publicas illas dici, ad quas omnibus est aditus, quia ibi publicæ insidiæ strui possunt. Magna Scholarum est habenda ratio. Notum est quomodo ille perfidus magister, iuuentutis Faleriensium: tradiderat Camillo vniuersam ciuitatis iuuentutem: Tradiderat ille, sed non fuit qui reciperet, Camillo proditionem improbante. Sed quid iste perfidus magister? corpora iuuenû tradiderat: Grauior culpa, tradito animo, ita instructo, qui aut obsit Patriæ, aut profusus non proficit. Facile dementatur iuuentus, & imbutum difficulter deponit errorem. Sæpe huic cælestia promittuntur, vt terrena amittat. Magnus Seriffus, Aphricæ potentissimus Rex, qui Fessæ Marochi & Tuneti Rex modo scribitur: hoc habuit initiû. Duo Fratres, alter Fessæ Regis Filiorum Pædagogus: alter publicus erat professor, ambo nescio quam religionem profitebantur, genus suum ad Mahometem referentes. Turcæ qui solos se in mundo & pios & veri Dei cultores existimant, atq; legis Diuinæ, quam, Alcoranum vocant, defensores destinatos, non impigrè difficilia quæq; pro ista impietate, quam ipsi pietatem tenent aggrediuntur. Itaq; cum alter apud Regem, alter apud populum plurimum valuissent, dementatis omnibus, ac suæ intentioni accommodatis: Deum propitium fore: qui rebus tam piis non defuerint persuadentes: mediocri-

diocribus primo copiis conuocatis, quæ huic periculo sufficere videbantur: tanquam sacrum bellum, intulerunt Christianis in Aphrica manentibus. Res ex voto cessit, Diis quasi rem piam auxiliantibus, tantæ felicitatis admiratione stulta plebs decapta, promouendos censuit: & stultè eo vsq; fauore suo extulit, vt tam sibi quam suis Dominis illos Tyrannos graues effecerit. Non est facilius deprauandi bonos Ciues modus, & euertendi Respublicas quam in Scholis: nam iste magis decipit cui plus creditur: Et rursus, non est melior efficiendi bonos quam in iisdem. maxima & diligentissima cura Scholarum habenda. nam in illis summa & cardo Rerumpub. consistit. Et tanquam contra quotidianam pestem, certa habenda antidota. Quæ igitur? Sint Scholæ istæ publicæ, erunt autem si publico cum consensu erigantur, atq; sustentabuntur, nec à quopiam altero, præter Rempubl. dependebunt. ne magis alteri quam Reipub. parere cogantur. Scio ex grauissimis Scriptoribus horum temporum: post oppressa à Philippo Hispaniarum Rege, Portugalliæ, Lusitaniæq; Regna, cum illa contineri in officio pleriq; dabitarent. id consilij Philippo à quibusdam datum fuisse, vt qualibuscunq; excogitatis medijs, Academiam Conimbricensem sensim tollat: Secus, absolute Regna illa gubernari non posse, tantis Do-

Storibus publicis, & Reipub. cupientibus, & glori-
am libertatis infusurantibus, nisi translata ab Aca-
demia ad suas Scholas iuuetute. Quis ignorat, quan-
topere libertatis odio hoc tempore Domini æstu-
ant: Sunt, qui libertatis opprimendæ causa, vt sint
terribiles, sancti esse desierunt: occultè Rebuspub.
inicientes compedes, vt vires consuetæ, nondum de-
positæ, constrictæ manentes, vim suam vltimã exer-
cere non permittantur. Beneficia non rogatorum,
non sint absq; suspicione, ne in Equum Troianum
incidatur. Suum ius quælibet Respubl. defendat,
aliena nequaquam recipiat imperia. nam si vsurpa-
tioni alienæ parum concesserit, iuris non erit inte-
gri, postea maiora expectet: principiis obstare con-
sueuerunt prudentes. Per Deum nonné iura Diuina
humanaq; peruertuntur? Si res aliena, inuito Do-
mino alteri attribuat. Ista gleba terræ, cuius est si
non Reipub. à quo, si nō ab eadem, dari potest? Rei-
pub. est ius præsentandi: Esto, sit alterius institu-
endi, tamen non præsentatus ab eo cuius id iuris, in-
stitui non debet, nec potest etiam, nisi iure iniquo,
vel potius nullo. Sunt Canonistæ eximij, qui rem
serius ponderantes vltimo supplicio puniendos istos
censent, qui impertinentiis istis, à sacro ordine, pro-
fanū alienant. Sua quæq; habeat Collegia Respub.
à se non ab altero dependentia, quibus conditioni-
bus Ro-

bus Rotomagensis Academia nostro tempore er-
cta, cui priuilegiolorum externorum receptio fuit pro-
hibita. Sint quoq; pauca oportet, ne isto prætextu,
villæ & Nobilium bona distrahantur, magna publi-
ca attenuatione. Recolligite, in his quadraginta an-
nis, quot & quantæ villæ à nobilitate auulsæ sunt,
nunquam ad nobilitatem reuersuræ, quia illis (vt isti
dicunt) alienatio, prohibita est. cur & Respub. alie-
nationem à suo iure prohibere non debet? Quid
putatis? Si infra centum annos, reliquum non auel-
letur? si res tam periculosa despicietur. Exiguum
apud nos commodum multiplicandorum Collegio-
rum, quia exteri ad nos studiorum causa nulli con-
fluunt: domestici pauci student, reliqui tempus &
operam perdunt, quos ad armorum exercitia con-
uertere præstaret. Satis est Ducem habere sapientē
milites strenuos tantum, & exercitatos esse oportet.
neq; se neq; Rempub. iuuentus defraudet, innani-
bus occupationibus tempus consumendo. Quid-
quid non vacat periculi suspitione illud à Republ.
maturè remouendum, sensim mala excreseunt. Cum
quo Clero creuit Respub. cum eodem uiuat & mo-
riatur, si Fata iusserint, quia iste Filius liberæ est so-
lus, Ancillæ quis scit si non inuenietur ad deprauā-
dum filium Liberæ. Amici antiqui propter nouos
non sine penitentia amittuntur, qui aut incerti sunt

aut omnino suspecti. Verum missa faciamus ista : ad tempora moderna, rem concludentes descendamus: quibus, in fluctu constituta Respublica videtur, sine periculo tamen, vobis peritissimis naucleris existentibus. ad quos præcipuè Respub. conuertit oculos: non quod ipsa per se vires non habeat: satis habet & animi, contra quosuis hostes & pericula, sed quia vobis plurimum confidit. Vnus nauclerus leui motu vniuersam commode dirrigit nauem. omnes remo laborantes, minus. Nauclero opus est egregio, id namq; gentes diuersæ, apud nos desiderari aiunt, etiam illi qui sunt hostiliori animo, virium certe satis habemus. nam reductis in ordinem omnibus, Trecentorum millium potest Respub. armare copias: integris tamen his viribus contra quemuis hostium, opus erit nunquam. Magnum hostem esse oporteret, qui tertiam sustinisset partem. Ad hanc dicitur puppim in nauclero eligēdo: Honestas antè omnia, postea securitas, vtilitas tandem consideranda. Absit eligere armatum, quia id honestati publicæ derogare videtur, quæ ingenuorum in oculis, potissime esse debet: nihil faciendum, quod non liberè factum fuisse existimaretur, timentes futurorum sæculorum ignominiam, ne coacti fecisse iudicarentur. Princeps ad Rempub. liberam, & exarmatus ad arma, & sine legibus ad leges accedere debet: Securitas, ne
suspi-

suspicionibus, repleat Rempub. Improbanda illa
amicitia, quæ auxiliorum affert nihil, periculorum
plurimum, suspicionum satis. Multis in rebus lau-
dandus Stephanus Rex noster, quia multa prudenter
dixit, fecit quæ. Huic cum Aurei veleris societas
offereretur: Ecquid sibi velit ista imago & quærit.
Agnum esse cum responderetur. Quomodo inquit
cum dentibus lupinis, qui stemmatis mei, insignia
sunt, conueniet sine iniuria & Ab hoc Ioannes Zbo-
rouius non receptæ Societatis audiuit causas. Quia
Regibus pauci sed necessarij sunt cõparandi amici.
Magisq; necessariã sibi videri Daniæ Regis Societa-
tem: Cuius amicitia & naualibus auxiliis, Baltici
maris dominium occupari posse censuit, ineffabili
commodo publico: non modo Emporiorum Prussi-
corum causa & litoris, à quibus solis opes Reip: de-
pendet: sed etiam ad cõpedes hostibus septemtrio-
nalibus iniciendos. Et vero ita est nam angustias il-
las ex Oceano Germanico, ad mare Balticum, seran-
di & referandi Danus habet potestatem, intromittē-
di, & prohibendi quos vult. cuius amicitia non mo-
do ad Liuoniam pacifice tenendam, sed etiam ad vl-
ciscendos hostes opportuna fuisset. nam hinc in Mo-
scouiam, in Sueciam, in Liuoniam, exercitu, & tor-
mentis transportandis, & securum, & breue, & sine
molestia iter esset, & sine damno, & iniuria villarum,
quod

quod maximum est. vel qui hoc non videat, & mul-
to plura quam dici possunt nemo est. Vtilitatis eti-
am argumenta ex coniecturis non negligenda. Ro-
manis Scipionis nomen auspiciatissimum fuit. hosti-
bus eorum fatale. nam Scipio Annibalem fregit, Sci-
pio M. Antiochum vicit. Scipio Carthaginem & Nu-
manciam euertit. Et post mortem Pompei, Scipio
aduersus Iulium Cæsarem, Dux belli in Aphrica iux-
ta oracula Sybillarū, quærebat. Et nostræ Reipub.
est nomen propitium, quod Germanis restitit, Cru-
ciferos vicit, Turcos afflixit, Prussiam iuris Polonici
fecit, Pomæria Republicæ dilatauit. Rempub. pu-
blica Schola plurimum ornauit, Quod sit? quis igno-
rat? nec ista contemnenda, occulta multis rebus vis
inest, multis in gentibus res ista comprobata est. Ma-
gna dignitas Regum Poloniæ, quia cæteri seruorum
sunt Domini, nostri vere Reges, quia liberorum.
Nunc tempus est, bonos ciues cognoscendi, nunc
animum cuiusuis perspiciendi: Hoc potissimum
ex tempore quisq; aut gloriã immortalem,
aut sempiternam infamiam dede-
cusq; expectet.

F I N I S.